

NOBILISSIMÆ, AMPLISSIMÆQVE  
BLANCORVM FAMILIÆ

L A V D E S

Varijs Carminibus expressæ

A IOSEPHO ANTONIO

MORBILLI NEAPOLITANO I. C.



Illustrissimo Viro Domino

D. IOANNI THOMÆ

B L A N C H

OLIVETENTIVM MARCHIONI

DEDICATÆ.



NEAP. Apud Franciscum Mollum 1676.

*Superiorum permissu.*

Illuſtriſſimo Domino  
D. IOANNI THOMÆ  
B L A N C H

OLIVETENTIVM MARCHIONI  
Ordinis Equeſtris Sancti Iacobi de  
Spata, Supremo Militum Tri-  
buno, & in Regno Neapoli-  
tano Regij Collateralis  
Conſilij meritiffimo  
Decano, &c.

.F.

**N**obiliffimæ Familiæ Tuæ laudes  
poſteritati traditurus, meumq;  
populo approbaturus ingenium; nec  
imprudentiæ, nec ingrati animi notam  
effugerem, ſi cui potius, quam Tibi la-

a 3

bo-

bores hosce meos dicatos vellem; & Tua ergà me merita, & Blancorum nomen Tua ope fortunę vltra fines euectum me ad officium hoc nõ alliciunt modo, sed impellunt; nam Tu (vt misfa faciam cætera) ornamenta ea, quæ Maiores tuos dispersa beatos effecere, collecta tenes, Blancorumque famæ heres ex asse non modo illam fartam, tectam, seruas, sed etiam virtutibus amplificatam, maiore cum censu ad posteros transmittis, vt in ea pro merito exornanda, vel Maro ipse post exhaustam lauream Pindi syluam despõdeat animum. Equidem quamquam impares pro tãto onere vires probè viderem meas, timeremq; animũ ad scribendum appellere; copia ipsa rerum, vel in primo dicendi limine penè obrutus; abiectam tamen mentem erexi, illud mecum

cum reputans : hoc demum esse rerum  
magnarum ingenium, vt vel malè cul-  
ta, malè tornata oratione leuiter atta-  
ctę potius quam ad viuum expressę,  
luce se tamen prodant sua, natiuumque  
vel inter vmbbras ostendent decus: gem-  
mę quidem, siuè ferreis, siuè aureis eas  
inferas anulis, parem candoris sui præ  
se speciem ferunt. Quare non eo cõ-  
silio labores hosce suscepi, vt lucem  
luci addam, sed vt obseruantię erga  
Te, Tuosque meę monumentum ali-  
quod excitarem; in eandemque clien-  
telam ingenium, hoc est meliorem mei  
partem adscriberem; in quam ego à  
prima propemodum etate fuissem ad-  
scriptus. Habes instituti mei rationem,  
reliquum est, vt qua semper me, mea-  
que beneuolentia es profecutus eadem  
lucubrationes has animi mei testes lu-

culentissimas excipias ; quod si obtineam omnia mihi ex voto accidisse arbitror , Tuisque fretus auspicijs audebo me quoque pennis

*Tollere humo, victorque virum volitare per ora.*

**Vale .**

**Tuz Illustrissimæ Dominationis**

**Additissimus, & humillimus servus**  
*Joseph Antonius Morbilli I.C.*

## A D L E C T O R E M .

**O**peræ pretium duxi ( studiosè Lector ) ut prius ingenuo candore , affabilique fiducia sine affectatione , & verborum pompa , in tuum me animum insinuem ; quidquid porro affectatum est , aut plus æquo perquisitum à familiari colloquio debet esse alienum . non hic murem pro leone ostendo , sed huc me impulit ( non eo inficias ) iuuentutis feruor , ne ad ea , quæ vel senes aggredi perhorrescunt adhuc iuuenis ingredi pertimescerem , virtutis candidatus nondum vir ; perquam arduum est musæ latinæ tendere barbitum ; non tamen audacia , quæ culpæ potius sit affinis , quàm virtuti ; ideò non culpanda , sed palpanda ; quemadmodum generosi spiritus indoles , non adeo temeraria accusatur , ut non excusetur . Lector es , ut te velim , lenis ; non lictor , ut te paueam , terribilis ; qui vitium castiges , præfoces , suspendas ; Lector elige , quæ meliora sunt , ut primitias in iuuentutis flore productas ; molliter , leni manu , summisque digitis lege , ne carpe , ne discerpe , neue inimico odio perfringe , sed amico studio prosequere ; acerba sunt nondum maturæ , quia præcocia ; non adeò tamen ingrata ut spernantur ; ut prodromi , eo magis tibi sint cordi . incorrecta aliqua inuenies , vel corrupta ,  
quia

quia intempestiua ; elegantiz si quæ non sunt ,  
fient si eleganter legantur.adolescunt,ideò ado-  
lescentibus sint potius inuidiosa,quam inuisa,  
senibus non mordenda, quia senes sunt,& mor-  
dere iuuenum est, velut errare ; meminerint iu-  
uentam, & errores quos fecerint ne damnent ;  
viris autem succurrat prima virtus compescē-  
di linguam, si viri sunt, & sapientes, & si qua-  
sciunt non sine erroribus didicerunt; exarare,  
& errare proximum est ; me ipsum sum imita-  
tus, hoc est naturæ meæ conuenienter dixi, du-  
cem enim habemus naturam in dicendi genere,  
cuius est proprium ducere ; optimus est color  
oratoris, qui natiuus, alioquin affectatus ; phi-  
lologia seruire potius debet,quam regnare;hæc  
satis; sic mihi, sic cui debui satisfeci;si non tibi,  
qui rigidus es exactor ; fac vt tibi etiam de-  
beam, ingrata hæc tibi non sint, & gratus ero .  
Vale .

Do-

Domini D. Antonij Migliore

V. I. D.

In Auctoris encomium.

EPIGRAMMA.

**B** Lancorum augustæ scribis gesta inclyta Gentis  
Dum Morbille, tuum tollis ad astra decus,  
Quod non longa etas, non inuidiosa vetustas  
Lethæi poterit mergere fontis aqua  
Fama tuum nomen niucis complectitur alis,  
Dum promis Blanca stirpis in Orbe iubar  
Pro iaculo calamum torquens, te præter, in Album  
Tam benè qui tendat spicula, nullus erit.

Do-



Reu. D. Antonij Pagano,

*EPIGRAMMA.*

Cum laude Auctoris insinuat nomen, & stem-  
ma nouem stellarum Illustris. D. Michaelis  
Blanch, in Virginum septis, & ce-  
lebri Spiritus Sancti Ecclesia  
Præsidis.

*Q*ui Blanci genus exaltas, & sidera tangis,  
Tu simul extollis nomen ad astra tuum.  
*Euehis, eueheris vector, sic tangis Olympi  
Sidera, sic Cælum vertice fulcit Atlas.  
Sideribusque nouem Michael bene præsidet; alter  
Præsidet Angelicis, in totidemque choris.  
Pro te pugnabit Michael, umbone sub isto  
Stat Deus in terris, templa, sacrique chori.  
Sigalion tibi Momus erit, timidusque silebit,*

*Iam*

*Iam digito labium signat utrumque suum.*

*Si tibi, si Blanco canis, hoc satis esse putabis;*

*Maxima pars laudum sufficit ista tibi.*

*Si Blancus tibi blandus adest, Michaelque tuetur.*

*Dæmon Momus adhuc nomine victus abit.*

*Liber eat liber iste tuus sub nomine tanto,*

*Quod speres multum est, quod vereare nihil.*

Eiusdem D. Antonij

O D E.

IOSEPHVS MORBILLI.

ANAGRAMMA.

PHOEBO SIMILLIMVS.

**C**VM PHOEBO valeas esse SIMILLIMVS

*Quo digno celebrem carmine nescio,*

*Nec si Pindaricis versibus insonem,*

*Vatem te iuuenem præcoci ingenii,*

*Ornatumque bonis artibus efferam;*

*Alto cum ferias sidera vertice,*

*Blancos omnigeno carmine subleuas.*

*Magnis Indigetum digne fauoribus,*

*Stellas dum celebras, te simul euehis,*

*Et te sidereis sedibus inseris.*

*Cum*

*Cum sis Mæonio carmine dignior,  
Pro nostro modulo nitimur obsequi,  
Et te prosequimur, qua vice possumus.  
Ornatum gemina Daphnide dicimus,  
Cum sis in duplici iure peritior,  
Vates in numeris doctior omnibus;  
Maturus iuuenem consilij vigor  
Ducit te impavidum, ne titubes pede;  
Dum sic inuidiam proteris hostium,  
Conuictus taceat quilibet emulus.  
Rumpatur rabies aspera Criticis  
Tu viuas senior milite Nestore.*

**EIVS.**

E I V S D E M :

O D E .

IOSEPH MORBILLI.

A N A G R A M M A .

PHOEBO SIMILIS.

**Q**uam tibi equalem reperire possem  
Monstrat, ac offert Anagramma laudem,  
Nempe, qui PHOEBO SIMILIS resultat  
Nomine ab ipso .

Carminis cedat tibi Phœbus artem,  
Lesbia notis fidibus puella  
Dum canis, cedat, sileatque prima  
Carminis Auctor.

Sume iam laurum tibi destinatum,  
Sume quasitum meritis honorem,

Quenz

*Quem parat virtus operosa, cinge*

*Tempora fertis*

*Serta de legum studio reportas,*

*Nobilis vates gemina decorus*

*Laurea splendes magis, ut pyropus*

*Fulget in auro.*

*Hac Alexander gladio subegit:*

*Qua doces mundum calamo, inuenta;*

*Tu tamen longam videas senectam*

*Vtilis auro.*

*Sperne Aristarchos generose, vinctus,*

*Nam dabit virtus animosa vires,*

*Teque defendent potiora Celi*

*Sidera Blanci.*

*Maximum celsi decus hoc olympi,*

*Sidus admiror, venerorque magnum,*

*Quod canis vates, ego iam tacebo*

*Laudibus impar.*

*b*

*Quot*

*Quot choris diuùs Michael superstat,  
Hic nouem prudens dominatur astris,  
Et quot apparet redimita Bacchi,*

*Gnosia coniux .*

*Tu nouem musis dominare uates,  
Te velut Phæbum totidem coronis  
Qualibet cingat, decoretque donis*

*Principe dignis.*

*Sive musarum choreis receptus,  
Sive percurris duodena signa;  
Sidera exornas, & amicus illis*

*Addis honorem .*

Do-

Domini D. Antonij Vespoli

EPIGRAMMA.

IOSEPH MORBILLI.

Anagramma.

PHOEBO SIMILIS.

IOSEPHVS ANTONIVS MORBILLI.

Anagramma Purum.

IN NOBILI TRIVMPHO SOLVS EAS.

**D***um Phoebos Similis rutilantia sidera Blancos*

*Euehis; agnoscis munus id esse tuum.*

*Non auriga minor stellas non sole minores*

*Per conuexa poli ducere debuerat.*

*Dumque nouem stelle victo de sole triumphant;*

*Grande ministerium, suffice solis equos.*

b 2

No-



**Nobili in hæc tu solus eas, ò Phæbe triumpho ;**  
*Vel si non aderas ipse legendus eras ,*  
**Solus eas Vektor, si solis honore carerent ;**  
*Tu faceres stellas solis habere vices .*  
**Et si non esses fieres tu Phæbus ab illis ;**  
*Quas similis Phæbo, qui vehit esse potest .*  
**Nomine multiplici poterant meruisse trophæum,**  
*Quas soli stellas tu facis esse pares :*  
**Te Vektore tamen Cæli Capitolia scandent,**  
*Dumque vehere simul, compos honoris eris .*

**Eius**

E I V S D E M.

Dom. D. Antonij Vespoli.

E P I G R A M M A.

**Q**ualia vos dicam fulgentia sidera Blanci,  
Quæ admirans Phæbus nobiliora facit?

A Patre thyrsigero sunt hæc data munera Baccho,  
Dignaque Sidereæ facta corona Deæ.

Si laudata nouem sunt sidera iudice Phæbo,  
Lucidiora dehinc lampade solis erunt.

Alter adoratur. Stellas hic adorat Ioseph,  
Sidera namque videt maxima, sole super.

Sis Phæbo similis, tamen hæc tu pronus honora,  
Quæ tribuunt nomen sidera magna tibi.

Laudando stellas, recipis tu lumen ab illis,  
Ni Phæbus, poteras obstupuisse, fores.

Quis

*Quis, nisi sit Phoebus, Cælo superaddere honorem,  
Et decorare noua sidera luce potest?*

*Quis, nisi sit Phoebus, numeros complectitur omnes,  
Et canit omnigeno carmine tale melos.*

*Sideribusq; nouem totidem submittere musas,*

*Quis, nisi sit Phoebus, munus utrumque subit?*

*Pierides tibi, quæq; suum, de vertice Pindi,*

*Collectum florem, mœnera grata gerant.*

*Floribus ut totidem cõhonestes sidera Blanci,*

*Mistaque sideribus florea ferta micent.*

*D. A. P.*

*IM-*

**I M P R I M A T U R .**

**FRANCISCVS SCANAGATA  
VIC. GEN.**

**Ioseph Imperialis Soc. Iesu  
Emin. Theol.**

---

**Eccellentissimo Signore .**

**F**Rancesco Mollo Stampatore , sup-  
plicando, espone à V.E. qualmente de-  
sidera mādār alla Stampa alcune Poësie  
del Dott. Gioseppe Antonio Morbilli,  
per tātō supplica V.E. restar seruita or-  
dinare la reuisione di quelle à chī coman-  
darà V.E. è l'hauerà à gratia, vt Deus.

*Magnificus V. I. D. Ioseph. Castaldus vi-  
deat, & referat .*

**GALEOTA R. CARRILLO R.  
CALA REG. SORIA REG.**

**Provisum per S. Excell. Neap. die 27. Ianuarij 1676.**

**Mastellonus .**

*Excellentiss. Domine.*

**L**ibrum, cuius inscriptio, *Iosephi Antonij Morbilli I.C. Carminum*; Excellentiae vestrae iussu perlegi, cumque in eo nil Regiae Iurisdictioni, aut bonis artibus absolum contineatur formis, excudendum arbitror. Neap. 30. Ianuarij 1676.

E. V.

Deuotissimus Seruus  
*Ioseph Castaldus.*

*Visa retrospectiva relatione imprimatur,  
& in publicatione seruetur Regia  
Pragmatica.*

GALEOTA R. CARRILLO R.  
CALA REG. SORIA REG.

Prouisum per S. Excell. Neap. die 7. Martij 1676.

Mastellonus.

IOSEPHI ANTONII

M O R B I L L I

NEAPOLITANI I.C.

CARMINVM

LIBER PRIMVS.

B. Martyr Franciscus Blancus ex Galitia Ordinis Minorum ex Discalceatorum familia

S. Petri de Alcantara dignissimum Ger-  
men ad diffundendum Catholicæ Fidei  
lumen Iaponiam petit.

C A R M I N I S

P A R S P R I O R .

**H**eroum genus, & Blancorum nobile sidus

*Dic, age, Musa, virū sacra redimita corymbo,*

*Quem gaudens olim prospexit Iaponis ora*

*Euertentem Erebum, & Cælo noua regna locantem*

A

Tu

Tu quoque flos procerum, lumenq; de cusp; tuorum  
 Blance comes superùm, potuit cui dulce videri  
 Hostemq; horribilemq; Crucem, immanemq; tyrannũ,  
 Licetorumque minas, rabidosque subire furores,  
 Húc ades, his, oro, felicibus annue cæptis.

Est locus Oceano in magno, quò fulgida mundo  
 Fert Matuta diem roseis inuecta quadrigis,  
 Primaque dat terris orientia lumina Phoebus,  
 Et caput extollens nitido lucefcit Olympo.  
 Iapona compellant ciues; ditissima sanè  
 Tellus, & cunctis felix nitet infula campis,  
 Et foret Elifium, heù facinus, fin fæua virorum  
 Pectora terra aleret, mentesque animosque leonum  
 Semihomines gererent humano in corde coloni.  
 Húc folijs, nulla formidine gaudet auitis  
 Dira fupcrftitio; húc Stygij. Ducis impia templis  
 Sceptra tenent aras omnes, regit omnia Pluto,

Et

*Et felix in pace viris dat iura Tyrannus,  
Sidereamque fidem sacris penetralibus arcet,  
Cunctaque Tartareo cernis subiecta furori.  
Hos turpes Erebi ritus gratissima celo  
Relligio, his populis regnare licentius Orcum  
Aspiciens, animum summo percussa dolore  
Hac secum: Occiduas inter vix demoror urbes  
Infelix, totoque indigna expellor Eoo  
His nẽ inferna lues potuit baccharier oris?  
Indorumque plagis Plutonia condere regna?  
Ast ego Diva potens superum sanctissima proles  
His vetor in terris caelestia figere signa.  
Et vili premor imperio Phlegetontis iniqui?  
Dixerat: Ætheriosque gradus citat ocyor Enris  
Ad caelum, sanctosque lares fulgentis olympi.  
Assueto at non illa micat candore, nec aureum  
Fert crinem, nitidosq; oculos, quibus ignea cali*



*Sidera, & euicti cedebant lumina Phoebi,*  
*Nec sua florenti circumdata tempora ferto,*  
*Nec qualis colitur templis pucherrima pulchris*  
*Irradiat gemma, aut rutilis ornata pyropis,*  
*Nec niueo pendent Erythræa monilia collo*  
*Aut artus decorat flammato murice palla,*  
*Sed tristes demissa genas, tergoque capillos*  
*Effusa, & vili Virgo velatur amictu;*  
*Ac subit Ætherij præpes Capitolia regni,*  
*Demissoque genu Diuinum Numen adorat,*  
*Indigetum inde Patrem lacrymis sic fatur obortis.*  
*Numen supremum Numen, si gloria gnatae*  
*Vlla tue, aut pietatis amor præcordia tangit,*  
*Huc aduerte animum; iusti miserere doloris,*  
*Vndique iam pellor terris, agor vndique fatis*  
*Iam me dirus Arabs patrijs deturbat ab aris*  
*Et pharetra insignes Thraces, pictiq; Geloni,*

*Intonsique Gete, & molles mea iura Sabæi  
Proculcant, ritusque sacros, legesque rebelles  
Illudunt Bactri, & magnus quos Nilus inundat  
Ægypti tractus, & Caspia regna recedunt.  
Isacides, quorum tectis cunabula duxi,  
Grata astris quondam, modò gens exosa Tonanti  
Nunc quoque me cogunt Solymo discedere templo.  
Quod superest terra, Stygij furor occupat Orci,  
Cunctaque lateo late loca numine complet,  
Et me vix paucæ iactatam casibus vrbes  
Excipiunt, totoque meis vix Hesperus orbe  
Imperijs regitur, Fidei mihi pignora seruans.  
Cur ergo his finis angustis dominarier oris  
Me, Genitor? sunt regna meis incognita sceptris,  
Est est Memnonijs undis extremus Iæpon  
Hic numquam est partis felicia signa triumphis  
Tollere visa Fides, aut condere tuta Tonanti.*

Delubra, aut victrix Cocytia sternere regna.  
 Hūc precor heroum cœtus, sanctosque maniplos  
 Mirte virum, qui vera canant, quique impia Ditis  
 Numina diripiant; meque in mea iura reponant.  
 Hic tibi si tali dederis consistere terra,  
 Templum augustum, ingens Pario de marmore ponã,  
 Tecta illuc cernes pictis decorata trophæis,  
 Delubrique novis laquearia fulgere signis.  
 Illic clara tuæ effingam molimina dextra,  
 Primaque rerum opera, & primi cunabula mundi  
 Moliar, & nitido data lucida sidera cœlo.  
 Hæc inter rutilus Solis nitor ibit olympo;  
 Ipsa gradus properans per opaca silentia noctis  
 Fulgebit vultu felici argentea Phoebe,  
 Pendebuntque tholis immania pondera terra;  
 Nec procul hinc aureo maria atra tumescere fluctu,  
 Neptunisque domos ingentia voluere cete

Es-

Efficiam, celeresque avium per inane volatus,  
Et positas addam, nemorum fera fulmina, tygres.  
Hinc virides inter lucos, et florea tempe  
Humana stirpis genitor, pariterque malorum  
Tristis origo sua surget cum coniuge coniux,  
Ora Dei, diuosque gerens in pectore vultus,  
Atque viris illinc stabunt monumenta dolorum  
Poma, anguisque doli, vetitaque à namine mensa.  
Hic pluuijs sternentem orbem, nimbosque ruentem,  
Qui sacrum è terris rapuere cupidinis ignem,  
Te faciam, & scelerata virum data conpota ponto,  
Nec non Cœlicolum pugnas, cœloque rebelles  
Aligerùm cœtus cernes in Tartara missos.  
Haud ibi cœlestis deerunt miracula Virgæ,  
Isacidumque fugæ, sicciq; per æquora calles,  
Contemptorque Tui Rubris Rex naufragus undis:  
Parte alia, ò pietas, vili proiectus in antro.

Horrentes inter cunas, stipulamque rigentem  
 Editus effundes gemitus; cui Diua Creatrix,  
 Diua Deo gaudens dabit oscula: protinus alto  
 Interea chorus Indigetum demissus olympo.  
 Lenè fremens, late mulcebunt aethera cantu  
 Hic tres Memmonij reges nitida astra secuti  
 Aurea dona dabunt, & odori munera thuris  
 Multa vehent hilares: omnis tibi prodiga Regi  
 Ibit Eos, aderitque suis Pancaia gazis  
 Innumeros illic pulsos, te vindice, morbos,  
 Vrentesque febres membris dare terga relictis,  
 Nec non dilectas reuocari in corpora vitas,  
 Et victæ mortis frangi insuperabile ferrum  
 Cernere erit; Stygiasque animis euellier iras.  
 Te tumidum mulcentem equor-pelagoq; minantem  
 Adijciam, et vectum haud tinctis per cœrula plantis,  
 Auspice te, mirum dapibus dabit amphora vinum,

Lim-

Limpharumque urna diffundent mūnera Bacchi,  
 Immensique tui mirabile pignus amoris  
 Ars addet; corpusque sacrum; sacrumque cruorem  
 Sub Cereis vultu, & Bacchi sub imagine Patris.  
 Humanae hinc auro rutilabunt signa salutis,  
 Verberaque, spineque, & iniqui pocula fellis,  
 Clauisque, hastaque, & diuo labefacta cruore  
 Marmorea assurget moles: Ast cetera rerum  
 Euincens opera hac sacra radiabit in aula  
 Aurea Crux; circa quam mille chori, agmina mille  
 Stabunt Iaponidum, & verum te poplite prono  
 Agnoscent cæli numen, Ditemque fugabunt,  
 Quaeq; dabunt lacrymarum flumina; quaeq; querentes  
 Mistra trahent tristi gemitu suspiria corde,  
 Cum tua te extremo claudentem lumina fato,  
 Feralique alno clauorum cuspide fixum  
 Aspicient, nitidosque suos obnubere crines

Mcrentem Titana polo, indignumque dolentem  
 Aetherij funus Regis, lunaeque labores  
 Insuetos celo, tremefactaque pondera terræ;  
 Te, casusque tuos nimium miserata nefandos.  
 Hæc quoque felices, depulso Acheronte, triumphos  
 Deduces super alta poli Capitolia victor,  
 Mille virum referes Stygio de flumine prædas,  
 Infantesque Patrum cætus, tetroque sub Orco  
 Detentas animas, dignosque heroas Olympo  
 Ibis & Aetherij pandes solia aurea tecti  
 Humanogeneri, cælestia regna reuisens  
 Aera per, superum circumdatus agmine multo  
 Aethera conscendes, qualis maiore coruscus  
 Sidereas inter flammis petit aethera vultus,  
 Immensaque sua replet sol lampade terras.  
 Haud procul hinc igneis Procerum per tempora linguis  
 Fulgebit superis missus sacer Ignis ab Astris

In-

*Innumeras illic laudes, & facta tuorum  
Effingam demum : totum sic ibit in auro  
Delubrum, molemque nouam mirabitur Indus;  
Interea tu Dine meis Pater annue votis;  
Ipsa tuis ferar auspicijs, ferar undique uictrix  
Aurora regnis, fugiat procul impius Orcus.*

*Olli subridens rerum sator, omnia nutu  
Qui regit, & flammis contorquet tela trifulcis,  
Desine, ait, tantas deducere corde querelas  
Nata tuo: stat fixa diu sententia mente,  
Immotus stat amor, stat ineluctabile votum  
Imperijs augere nouis tua sceptris, tuisque  
Purpureæ matute oram, et regna addere regnis,  
Extremique tibi adijciam confinia mundi  
Mox procerum ductu Iaponem penetrabis Eoum  
Huc nostris parens monitis Audentior ibit  
Gallecum Soboles, & Ibero sanguine cretum,*

*Hic*



Hunc mittam Blancum, socio stipante maniplo,  
 Qui tua signa ferat, cæli qui, numina portet,  
 Et procul his terris seuum Phlegetonta releget.  
 Hæc superum Genitor, solioque affatur ab alto  
 Aligerum Iuuenem, fido cui talia mandat.  
 I' propera gressus terras pete præpete penna;  
 Est inter Gallecùm vrbes, tractusque repostos  
 Hesperie regio, quæ Lucifer occulit aureum  
 Flammarum decus, & magno ruit Oceano Sol  
 Hic clarus proauum titulis nitet inter Iberos  
 Heros Blanciadum soboles, qui flore iuuentæ  
 Assisij Patris felicia signa secutus,  
 Hunc mihi mens est ad Matutæ mittere regna,  
 Vt tractus omnes, omnemque adscribat Olympo  
 Iapona: sunt etiam huic tales in pectore flammæ  
 Res illic Cæli fractas curare; suamque  
 Est animus sacrare polo cum sanguine vitam.

Hunc

*Hunc tu diue decet monitis implere, nouisque  
Est opus arte tua cunctantem impellere dictis.*

*Vix ea fatus erat Superùm Pater: ilicet ille  
Iussa ferens Zephyris perniciosior aduolat ales,  
Extremasque petit Gallecùm nuncius cras.*

*Ast noua consilia, & dubia dum mente volutat  
Blancus molem operum, Indorumque inuisere regna,*

*Dum meditatur, & audaci maria ardua pinu  
Findere, Iaponidumque sinus penetrare repostos*

*Stat dubium pelago se credere, statque carentum*

*Celitate luce animas Superis adiungere, & aris*

*Aurorę dominantem Orcum, & templa alta volentem*

*Sternere. Continuo demittitur axe minister,*

*Optatumque subit limen, Blancique penates,*

*Quere sic aggreditur dictis, sic incipit ore:*

*Quid dubios animos? tantas quid pectore curas*

*Fers generose heros? vanos hos pelle timores,*

*Au-*

*Aude animis ad facta nouis ingentia victor ,  
 Multa tibi tentandum ausis, multa orsa ciendum .  
 Te vocat extremus Iapon, vocat Indica tellus  
 Et, duce te, cœli Numen venerabitur aris  
 Lucifer, & parto felix potietur Olympo .  
 Ipse implorat Eòus opem, auxiliumque precatur .  
 Ergò has rumpe moras, nostris his annue iussis  
 I' nunc, pone metus, trepidantem hanc exue mentem  
 Dixerat: ille statim sua nubibus aliger ora  
 Condidit, Hesperia fines, terrasque relinquens.  
 His Superùm accensus monitis, & numine plenus.  
 Nec mora, se magno Blancus commisit habendum  
 Oceano, celèrique tumentia trajicit alno  
 Cœrula : Proh quantus cali rapit ardor euntem  
 Per freta, per fluctus, per lubrica regna' tumentum  
 Non illum undarum montes, nec subdola Nerei  
 Ludibria, aut terrent vada turgida; iamq; patefcunt*

*Emen-*

*Emenso Oceano Titonia littora, iamque  
Post multos pelagi casus, functosque labores  
Iaponidum terris ratis appulit : O quibus heros  
Motibus exultat: iam iam enertisse Tonantem  
Tartareum se credit, & execrabile Ditis  
Debelleasse putat regnum, infernasque phalanges .  
Interea totum lustranti Iapona Blanco  
Additur heroum sacrum comes agmen ouantum  
Assisios inter non ultima gloria cætus,  
Huic quoque felici sese adiunxere maniplo  
Tres Iuuenes, Loioleæ tria sidera pubis .  
Ergo omnis, stimulante Deo, chorus ibat, & omnes  
Vrbesque, camposque petens, montesque, locosque  
Explorans Blancus, sacris loca legibus implet,  
Et toto infandos discedere Iapone manes ,  
Cogit & indignos iubet impiger ire sub umbras  
Eumenidum cætus, vinculisque Acherontâ reuincit ,*

*Iam*

Iam totus præceps Phlegeton, totusque cadit Dis,  
 Auspice te, Blance, innumeris cumulata triumphis  
 Christiadùm alma Fides sacras regnare per aras  
 Cernitur; & victrix cunctas dare iura per oras  
 Relligio, Parioque nitentia marmore templa  
 Cælicolùm Regi, terræque, marisque potenti  
 Iam locat, et superis meritos instaurat honores,  
 Totosque Auroræ tractus, totumque rebellem  
 Iapona conciliat Cælo: iam ferrea cultu  
 Pectora deponunt populi, mentemque benignam  
 Eloquio mollita tuo gens accipit omnis.  
 Non tot odoratos flores creat Hybla viretis  
 Nec tot vernantes fundunt nemora auia frondes,  
 Aut tot spumoso frangit mare littore fluctus,  
 Quot sacro se fonte piant, & cælite lympha  
 Se tingunt animæ, & patrio se crimine mundant.  
 Hoc ingens Erebi excidium, tantamque ruinam

*Cocyti cernens toruo Rex lumine Pluto  
In diras rapitur, furisq̄ue agitur iniquis,  
Multa fremens, aperitque suos hac voce furores.  
Heu genus inuisum! & nostris contraria regnis  
Christiadum soboles! etiam nec pace potiri  
Terrarum latebris possum, nec ab orbe reuulso  
Orbe sinunt Superi placidos me viuere soles.  
En Iapone ut fugor, en Blaci ut premor vnus armis;  
Ille ego, qui quondam Superos ad praelia traxi,  
Nec timui Aetherei contemnere iussa Tonantis,  
Et quem nunc Stygij metuunt loca pallida regni,  
Cui nigri manes, & Auerna sonantia parent,  
Vnius imbelli dextra debellor Iberi?  
Heu pudor, & victus decedere cogor Eoo  
Numquid erit finis belli? num meta laborum?  
An Blanci insultu patiar succumbere demens?  
Non ita: sed totum in Superos Acheronta ciebo,*

*Et pœnas luet infelix, qui nostra superbus  
Iaponijs curat terris effringere sceptrâ.*

*Talibus infremuit Pluto: cum cœca repente  
Tartara, & infernæ sonuere ululatibus ædes,  
Ingentique Stygis fremuere cubilia luctu,  
Et circum affusi glomerantur in agmina manes,  
Mille statim famulantum adsunt, & mille fremētum  
Ternarij cœtus Regi parere parati,  
Centaurique, trucesque Chimerae, & Gorgones atræ  
Arpiaque, Hydraque, & amantes improba Diræ.  
Hæc ubi Rex Erebi monstra omnia circumspexit  
Armatam colubris medio vocat agmine Pluto  
Tisiphonem, cui multa querens sic ora resoluit.*

*Nata licet tenebris, sis atræ filia noctis  
Ferre tamen, tu Virgo potes post nubila lucem  
Imperio nostri iam iam labentis Auerni,  
Si nunc arte tua, & multis te fraudibus armes.*

*Hoc*

*Hoc unum da, Diva; cito pede vecta per auras  
Iaponidum ad Regem propera, qui nostra paternis  
Iura Strygis finit (infandum) decedere regnis,  
Christiadumque Fidem, et Superum pubescere leges,  
Blancique auspicio proprijs me temnier Aris;  
Huic diros immitte animos, mentemque furentem  
In Blancum, sociosque viros; huic peccus iniquum  
Instilla, & furialibus infice corda venenis.*

*Tu nobis potes hanc orientem arcere ruinam,  
I' nunc, nocte dolos, parvam hanc interfice pestem;  
Sæpe solet lucos incendere spreta favilla,  
Paruaque deducens cunabula riuulus undis  
Paulatim in magnum concreescere flumen eundo,  
Horrendumque fremens ingentia volvere saxa,  
Et solet immensas euellere gurgite sylvas.*

*Vix ea Tartareus dederat Pater: illa repente  
Alite vecta Not o fuscis volat æthere pennis*



*Ad terras, Iaponumq; oras: at conscia fraudis  
 Horrentes primum vultus, & nota relinquens  
 Ora, trucesque habitus alias Dea perfida formas  
 Vcstit, mentiturque senem, qui templa Sacerdos,  
 Mendacesque Deos, & inania numina seruat,  
 Hos vultus simulata dolis subit intima Regis  
 Limina Iaponij, regique hæc subdola fatur.  
 Dijs æquande, mihi saluè ò Rex optime regum,  
 Parce; precor, verbis, vestras si verberet aures,  
 Hæc mea libertas fandi: me cura Deorum,  
 Scis equidem, solersque tenet custodia templi,  
 Scis, tueor Divos patriæ: Ast quid patria profunt  
 Numina? quid delubra Deum? si Iapone toto  
 Extera iura sinas nostras regnare per aras,  
 Compleri que tuas alieno numine terras,  
 Nescio quis Blancus; viles quos misit aboris  
 Occiduis Europa, viri, contemnere ritus,*

*Audentque immanes ius sacrum sternere Regni,  
 Et noua nos curant venerarier undique templis  
 Numina Christiadum, propriosque relinquere Diuos;  
 Hoc tamen exitium, & cernis Rex magne tuorum,  
 Et sinis, Eia age, & ipse manu sacram eijce legem,  
 Erue felices aras, & opima triumphis,  
 Vre Deum templa, & toto nos eijce regno;  
 Si te tanta tenent nostrorum tædia Diuum.*

*Hæc ait; at mistum iniiciens cum vocibus ignem  
 In regem, tacitamque facem, & non sensile telum  
 Contorquens, atrum infixit sub pectoris vulnus .  
 Interea illapsum diffundere corde venenum,  
 Tisiphonesque lues cunctis errare medullis,  
 Et furiale malum infectos sæuire per artus  
 Vrit atrox ignis Regem; furit effera flamma  
 Tartarea iaculata manu, fremit arma tyrannus  
 Arma amens vocat in Blancum, Assisiosq; maniplos;*

Tela, viri rapite, & vestro date spicula regi  
 Explore homines, tanti qui criminis huius  
 Sunt fontes, audentque dolis invertere regnum;  
 Et nos Christiadum vili submittere iuri  
 His furit infelix Diris; ceu saucia tygris  
 Tela humeris infixâ gerens, ruit ore cruento  
 In venantum inimica arma, infrangitque prementum  
 Pertasos enses, atque hostis fulmina dextra,  
 Haud secus accenso Ditis flagrat igne Tyrannus  
 Assisios contra cætus; inbet ilicet omnes  
 Compede vinciri, & simul atro carcere frenat  
 Blancorum Decus, & procerum spectabile lumen.

## C A R M I N I S

## P A R S P O S T E R I O R .

Idem B. Franciscus Blancus post iacta in Iaponia  
 insula Catholicæ Religionis fundamenta,  
 Fideique semina impijssimi Taycozami  
 Regis iussu vna cum socijs truci affigitur,  
 cuius Anima martyrij insignibus  
 laureata felicissimo Angelorum  
 plausu in Cælum vehitur .

**O** *Quæ monstra refers oculis! quæ funera terris!*  
*Quas cælo pompas, & gaudia mista dolori*  
*Mira dies nobis vehis! hinc fremit ebria tellus*  
*Clade virum; ludunt illinc festiua chorais*  
*Agmina plaudentum, magnosque heroas Olympo*  
*Letitia, curruq; ferunt; simul omnis ab alto*  
*Gaudet ouans, mugitq; nouis concentibus aër.*

*Nosco equidem. Vos ò Permessidis agmina collis*

*Pergite Pierides, cæptaq; insistite musæ.*

*Tu quoque Phœbe meum numen, tu gloria vatum*

*Phœbe faue: heroum mirum, & spectabile funus*

*Pande, precor, mecumq; refer per inane triumphos.*

*Sunt Blanci casus Superis, sunt gaudia cædes,*

*Vna dies rapuit terris; tulit vna trophæis*

*Hec eadem, gaudente polo, super æthera Blancum.*

*Hunc ego si vestro munimine fulciar, opto*

*Dicere carminibus, magnâq; attollere laude*

*Bellantem Libitinâ: & agentem ad sidera palmas.*

*Iam nitido sese affurgens radiabat Eo*

*Septima lux: neque adhuc regem finit improba labe*

*Eumenidis, Stygiaque facis; sed crescit eundo*

*In corpus iaculata lues, Iaponumque tyrannus*

*Huc, illuc rapitur furis, nec meta furorum,*

*Nec requies, donec Blanco, sociisque proterua*

*Lege iubet funus, fixosque occumbere trunco,*

Fe-

*Feralique cruci suspendier imperat omnes.  
Interea tumido latè sonat ære per urbem  
Innocuis decreta viris mors: venit ad aures  
Heroum rumor necis ; O quid talibus actus  
Nunc faciat Blancus curis! an voluere credas,  
Pectore quid maestum? minimumque effundere luctum,  
Aut trahere ingentes imo de corde querelas ?  
An mentem, solidumque quatit formidine pectus  
Fama necis; sæuæque Crucis timor occupat artus  
Falleris? ipse suum festa, ò stupor!, ebibit aure  
Funus, & ò quanti exiliunt in corde triumphi  
Quot motus hilares, & ouantia gaudia Blanci  
Pertentant animum, & plausu præcordia replent.  
Non sic aurato summa ad Capitolia curru  
Cesar ouans graditur, ducitq; ad patria lætus  
Limina felices pompas, viatorque trophæa;  
Qualis Blanciadum proles ad funera tendit .*

*Ergo omnes vecti curru, manibusque reuincti  
Læti ibant socij, plausu comitante; manipuli.*

*O felix currus tanto decorate triumpho,  
I' nunquam nitidis Phæbi cæssure quadrigis.*

*Quàm vellem te inter rutilantia plaustra Bootis  
Irradiare polo, pulchrisq; effulgere stellis.*

*Hoc vestrum poscit meritū, hos sibi poscit honores.*

*Te Titanis equi celeres ad fræna vocati*

*Lucida in astra trahant, solisq; repente curuli*

*Deposita, hos alios Soles per sidera ducant,*

*Blancumque attollant virtutum nobile lumen .*

*Vos, quibus Ætherij referant Capitolia ciues*

*Pergite felices; tuque his inuecte quadrigis*

*Incipe Blance triumphales, hoc auspice curru,*

*Ad Superùm sedes pompas agitare futuras,*

*Tanta etenim nequeunt præsagia fallere mentem ;*

*Iamque propinquabant necis ad fatale theatrum*

For-

*Fortunata cohors procerum; cum cominus ecce  
Funeris indignos thalamos, læthiq; ministras  
Arboreas moles cernunt, hilaresque salutant  
Flebilis instrumenta necis: tunc ocyor Euris  
Aduolat exiliens curru Gallecius heros  
Ad lignum; optatamque crucem, simul oscula ligno  
Figit ouans, truncumque suis amplectitur ulnis  
Plausuque illacrymans hilaris sic incipit ore.  
O felix probrum, ò felix iniuria lignum!  
O nimium dulcis dolor, ò mihi nobile munus!  
Æternùm salue Crux, ò mea gloria salue,  
Quàm votis optata diù mihi amabilis arbor,  
Non me Galleci fines, nec grata parentum  
Limina tardarunt, patria haud meus Hesperus ora  
Me segnem tenuit, nec aquarum montibus æquor  
Terruit, aut pelagi implerunt formidine fluctus .  
Vndarumque minas spreui: dulcesque fuerunt.*

. Ocea-



Oceani casus omnes, dulcesque labores  
 Per tot bacchantis Nerei spatia auia ducti .  
 Ast animis tantum hoc robur, viresque dedere  
 Vota tui, vultusque truces, ensesque tyrannorum  
 Haud timui; ut Cæli palmas decerpere possem,  
 Auspice te, supraq; tuas tumularier vlnas,  
 Aethereum, ut sequer Natum, & dignarer eodem  
 Funere felici, similique occumbere fato  
 In pari li tranco, magni quo Conditor orbis  
 Christiadum ductor voluit succumbere latho .  
 Hos ergo amplexus, artusq; ò nobile lignum  
 Excipias, gratoq; meo me redde Magistro,  
 Perque tuos ramos nitidi fastigia tecti  
 Scandere des, magnumque astris attollere pontem,  
 Hæc tua me faciat moles, quo sidera victor  
 Consendam, Superùmq; adeam regna alta triūphis,  
 Sis etiam mihi, chara arbor, firmissima puppis,

Qua

*Qua fortunatis oris radiantis Olympi  
er rubrum valeam felix appellere pontum.  
Nec fert plura loqui scelerato pectore lictor,  
ed Blancum ruit impulsu, sternitque ruentem  
uncreum supra robur, palmasq; pedesque  
circumdat trunco, solida compage satellites,  
Deindè humeris molem attollunt, cunctisq; vident. lam  
nfigunt terræ; haud sæuis imponitur iris  
llaquies, Furisq; nouis bacchantur iniqui,  
ænasque adiiciunt pennis: Proh quanta virorum  
quities, adigunt duo tela per ilia Blanco,  
rajiuntque simul costas, & cuspide utrumque  
onfodiunt hinc, inde latus; sic altera corde  
Fit telis erux mira: crucis nam funebris instar  
ntersecta sedent imo sub pectore tela,  
Hac eadem subeunt sociæ tormenta phalanges,  
Et mortem paribus gaudent occumbere pennis.*

O animis ingens heros, ò maxime votis  
 Vna alijs satis, Indigetis fuit: vna Tonanti  
 Crux sacram satiat mentem. At non unica pectus  
 Expleuit tibi, sed duplici cruce pendulus ardes  
 Fundere felicem cæli pro Rege cruorem.  
 Tanta sacri sub corde Cupidinis æstuat Aetna,  
 Sed duplici palma in superis donabitur aulis  
 Hoc duplex meritum, & duplici decorabere laurea.  
 Astuos ò fontes animæ, scelerumque ministri,  
 Quæ vestram vesana tenet dementia mentem  
 In tantos seuire viros bacchantibus armis!  
 Quæ tantum in Blancum furere exitialis Erynnis?  
 Quæ vos tanta urget rabies? Ah cede furori  
 O Iaponum infelix agmen, ne iusta Tonantis,  
 E' valida rursus rapiatis fulmina dextra;  
 Nam vigili stat mente Deus; memoresque malorum  
 Vos ipsi scitis, nuper quot patria tellus,

Quotq;

*Quotq; Iapon soluit tali pro crimine pœnas;  
Nec lentus fuit Aetherij Regnator Olympi  
Tantum scelerum vindex, ultorque morosus  
Funeris indigni, insontes quo vestra peremit  
Ira viros, & Gallecùm spectabile pignus,  
Sed celer ad pœnas Blanci pro cæde futura  
Plurima premisit patrijs ludibria campis:  
Insolitis terræ cecidisse fragoribus vrbes  
Iaponidum, fama est, disiectaque mœnia motu  
Tellurem patulo baratro excepisse profundo.  
Quid miras memorem nimbos, pluuiumq; cruorem?  
Sanguineosque imbres, totumque per aera feralem  
Immissum cinerem, irati miracula cœli?  
Quid non? Aeolijs Sedis temeraria pubes  
Visa procellosum super æthera tollere pontum,  
Innumerosque viros, lacerasque in marmore puppes  
Eripuit pelagi rabies violenta profundi.*

*Nec non Deucalioneos toto ruit æthere nimbos  
 In meritos Numen populos, gentemque proteruam.  
 Tunc aqueo patrias vrbes hausere sepulcro  
 Oceani fluctus; venit vittricibus undis  
 In medias Iaponum sedes; & naufraga ponto  
 Millia spumoso tumulauit in æquore Triton  
 Corporum, & Eoos vastauit gurgite campos.*

*Ast quid ego surdas aures? quid saxea corda  
 Sollicitem monitis? ventis verba irrita fundo.  
 Proh mala mens fontum stygio cognata Tonanti,  
 O quantum è pœni Superùm contraria legi  
 In scelus assurgit iusto quassata flagello,  
 Nec fados ponit mores, dum vindice cælo  
 Supplicijs agitur diris, nec pectore crimen  
 Projicit: Ast inter bacchantes Aetheris iras  
 In peius ruit, euaditque ad fulmina cautes.  
 Postquam expleta virum rabies, scelerūq; cupido.*

Lin-

*Linquere iam Blanci frigentes spiritus artus :  
Ast moriens lætos tendebat ad æthera vultus ,  
Supremasque dabat voces: Ah parcite tanto  
Cælicolæ Iaponum sceleri, quibus impius egit  
In tantum hoc facinus mentem furor, iraque Ditis,  
Quosque in me diros docuit sœuire Tyrannos  
Talibus os, pariterque æterno lumina somno  
Deficiens clausit; Phœbeꝝ lampadis instar,  
Quæ cælo emenso occiduis deuoluitur undis ,  
Neptunique imò rutilum caput occulit alueo.*

*Voluite nunc tristes lacrymarum voluite riuos  
Ad tantos casus, atque illacrymabile funus  
Hesperia sobolis, magnos nec parcite fluctus  
Spargere luminibus tristi cum carmine Musæ ,  
Et mecum gemitu æterno hæc effundite voces .  
Occidit Eoꝝ Hesperia Sol occidit ortu,  
Et Galleci extincta iacet lux inclyta Regni .*

*Quid loquor infelix! lacrymis quid talibus opto  
 Fata sequi Blanci! en quantum latantibus astris  
 Applaudit Blanco cœlum, totumque resultat  
 Cœlicolùm plausu, innocuisque exercitus armis  
 Dulcè fremens per inane volat sub nocte nitenti,  
 Exercetq; choros Superùm pulcherrima pubes.  
 Quare agite ò musæ, & tristes, depellite vultus  
 Exul eat gemitus, sed lætum dicite carmen  
 Pierides, magnosque hilares referamus honores,  
 Quos mirà heroum meritis dant sidera pompa.*

*Vt Superùm Regnator iniqua cæde peremptum  
 Aspexit Blancum, & sociùm miserabile lethum.  
 Aligerùm acciri cœtus iubet ilicet omnes,  
 Vt nitidis Heroa vehant per inane quadrigis,  
 Atque triumphali ducant ad sidera curru.  
 Intereà properant Diuorum effusa iuuentus  
 Aethereo parere Patri; haud mora cogitur omnis*

*Ante Deum Aligerum pubes, quibus alta Tonantis  
Maestas solium ascendens hæc ore locuta est.*

*Ætherij Iuvenes nostri Stellantis Olympi*

*Gens felix: vobis equidem haud ignara malorum*

*Mens est, Assisij quæ fortia pignora Patris*

*Iaponidum diram rabiem pertæsa tulerunt;*

*Felicemque animam pro relligione sacrasse,*

*Haud latuit Blancum, nostrumque ut uumen adorent*

*Purpurei populi, gentesque Oriente repostæ*

*Matutæ fudisse solo cum sanguine vitam.*

*Huic ego pro meritis magni dare dona triumphi*

*Opto, atque hunc nuper vitali lumine functum*

*Nubiagà cupio cælum conscendere pompa.*

*Quare agite ætherij ciues, & cælite curru*

*Excipite insignes animas, magnumque virorum*

*Extinctum Blancum ad cælestia ducite tecta.*

*Fas illi Superum sedes, & limina Diuum*



Tangere. Nunc ergo latantum accersite cætus,  
 Plaudentumque choros omnes, atque azmina Diuum,  
 Latitiamque poli; æternis, quæ pectora Diuum  
 Diluuijs gaudì, castaque cupidinis amne  
 Dulce beat, mergitque immensa nectaris vnda.  
 Nec minus, & comites adsint, risusque, sacrique  
 Indigetum cantus, & ouantes gutture voces  
 Dent hilares plausus, & totum missile cælum  
 In terras ruat, & fastum comitetur euntem.

Hæc ubi dicta dedit, Superum chorus ilicet omnis  
 Remigio alarum summo demissus olympo  
 Terrarum ima petit, sociasque per æra mille  
 Festiuas visu facies, & plurima secum  
 Gaudia, lætantumque trahunt solatia mille.  
 It Superum mirabile opus, ditissimus auro  
 Currus, & ætherea spectabilis undique gemma  
 Quattuor euolui immensa pro mole rotarum

Sidera cernuntur magnos, quæ luminis amnes  
Emittunt, dum cœrul eum per inane rotantur,  
Nescit, & hæc duplex argenteus axis; Eòæ  
Quem decorant bacce, gemmeque rubrique pyropi.  
Nec non in tabulis currus portatilis aurea  
Aspicitur Pactolus aqua, & formosus Hydaspes,  
Et gazis Eòs, Indique opulentia ponti,  
Cunctaque Erythreï irradiant decora inclyta fluctus.  
Hæc dum Syderei trahitur pulcherrima currus  
Pompa polo, Superùmque pererrant agmina cœlo  
Fit nox mira dies, radijs nitet æmula Phœbi  
Lux nocturna, novisque nitoribus emicat æther,  
Auctaque luminibus miram dat Cynthia lucem  
Sedibus aerijs gratantur euntibus astra,  
Cœlicolùm turmis, radiataque plaustra Bootis  
Exultant; pulchræque Hyades, mutataque tristem  
Erigone vultum, risus exercet ouantes.


Ut ventum ad terras, extremaq; Iaponis arua,  
 Haud mora festinans procerum lectissima pubes,  
 Heroum excipiunt animas, curruq; reponunt  
 In medio Blancum, tolluntque ad sidera plausu  
 Augustum pignus: gaudentibus itur olympo  
 Agminibus, magnoq; decus clangore triumphi  
 Euebitur cęlo, hinc socium volat vnda canentum,  
 Inde fides agitantum ingens ad sidera cętus  
 Fertur, & ærios, citharis resonantibus, agros  
 Aligerum ascendunt acies: pars pollice tentant  
 Letitia argutos nervos, atque aurea pulsant  
 Nablia, & aurato demulcent æthera plectro.  
 Pars dulces lituos, animantque sonoribus æra  
 Insignes alij laudes, & magna tuarum  
 Premia virtutum, ò procerum nitor inclyte Blance  
 Carminibus referunt, Iaponumque ingentia campis  
 Facta canunt; ductosque atro de Dite triumphos,

Nec

*Nec non & celebrant Stygio direpta profundo  
Agmina mille virum, populosq; urbesq; feroces  
Ascriptos caelo, & Cocyti à Principe partas,  
Te duce, victrices palmas, & opima trophea.  
Talia dum referunt: iam emensa per aera callem  
Cominus accedunt astris toto agmine pubes  
Aligerum: patet extemplo Domus alta Tonantis,  
Sidereaque fores summi referantur Olympi,  
Et festis illam Ætheream clamoribus Urbem  
Felices subeunt cætus; tunc gaudia caelo  
Crebescunt noua, maioresq; in limine Diuum  
Lætitiâ ingeminant plausus; ast obuius aureo  
Christiadum Ductor vultu, cui plurima pubes,  
It comes Indigetum, se fert, & sedibus altis  
Exceptit Blancum, & dextra contingere dextram  
Dignatur Numen, dictisque affatur amicis.  
O felix nostris succede penatibus hospes,*

Quos dedit æternùm nostri mens prouida Patris.  
 Diue veni, & tantis cælestibus utere donis.  
 His nunquam esuriens animum satiabis amantem .  
 Hic sine fine tibi saturum noua gaudia pectus  
 Vndabunt, semperque implebunt nectare mentem .  
 Pone animis, dilecte, metus, non amplius atrox  
 In te licetorum rabies bacchabitur armis,  
 Nec fera Tisiphone crines, euincta colubris  
 Sequiet, aut casum intentans Libitina cruentum  
 Infremet. Ast nostro hoc concors regit omnia tectò  
 Pax, & tuta quies felicibus imperat aruis,  
 Hic metam posuere iræ, finemque labores.  
 Pellitur, & tristis gemitus; gaudere necessum est.  
 Plausus ubique ingens, lacrymis exosus amaris.  
 Hoc tu letitiæ limen, gaudique perennis .  
 Hanc subeas ædem, nostræ comes addite sorti .  
 Dixit, & Ætherij subter penetralia tecti

*Amplexus manibus duxit, folioque locavit .  
Vnde animis haurit Numen, semperque beatur  
Luminis obtutu, & magno dulcedinis amne  
Expletur, gaudetque Dei insaturabilis ore .*



AD ILLUSTRISSIMUM  
 D. IOANNEM  
 THOMAM  
 BLANCH  
 OLIVETENTIVM  
 MARCHIONEM.  
 P A N E G Y R I S .

**Q** Vos dedit Heroum genetrix Mauortia virtus  
 Blanciadum soboli laeli referamus honores  
 Aëni cætus; Vos ò clarissima Pindi  
 Numina nunc agite, & tantarum ad pondera laudum

Fer-

Ferte, precor, vires omnes, totumque ciete  
 Ad cantus Heliconæ novos: Tu pulchrior astris  
 Cui crines aureus Pæctolus inundat arenis  
 Incipe Phœbe, me, eq; famens allabere Musæ  
 Nec felix desis tantis succurrere cœptis,  
 Te Duce, digna meo modulabor carmina Blanco,  
 Grandiaque ingenti dicam præconia laudum.

Hic ubi montis apex summis conterminus astris  
 Erigitur, nubesque inter fastigia condit?  
 Arx erat, hanc Regnator Honos colit: hic sibi quoddam  
 Aurea fundarat miris Capitolia pompis.  
 Tectum, ingens, sublime oculis, totumque pyropis  
 Innumeris stratum, mistoq; adamante coruscum  
 Conspicitur; multamq; vomunt summa atria tecti  
 Undam hominum, certantq; acri mille agmina nisu  
 Rumpere ferratos postes, varijsq; laborant  
 Artibus ad Regis limen penetrare repostum;

Plu-



Plurima portarum series, centumq; rigescunt  
 In foribus duri vestes, & milite servant  
 Armato tecti postes, adytumque tuentur  
 Custodes, paucosque sinunt euadere limen  
 Excipiunt tectis alios, aliosque repellunt  
 Mille propinquantum cœtus, atque agmina mille  
 Longius ex aula valido luctamine pulsant.  
 Felices inde ad Sedes, atque aurea tecta  
 Itur: at aulai in medio decora omnia Regis,  
 Sceptrorumque vides sylvas, fascesq; togaſque,  
 Regnorum imperia, erectique insignia fastus  
 Cernis, & in summos tolli diademata montes.  
 Purpureos regum vestes, roseosque galeros  
 Innumeros capit alta domus, sacraeq; tiaræ  
 Eois radiant baccis, & plurima gemmis  
 Infula collucet; multoq; intermicat auro.  
 Haud procul hinc ingens tectum, vastumq; cubile.

Pan-

*Panditur, & magno rutilat spectabile luxu  
Hic animum dominator Honos dat iura superbus  
Cordibus heroum, & folio se tollit in alto,  
Quem procerum famulantū acies, & mille colentum  
Orbe virūm cætus stipant, plausuque coronant,  
Et circumfese agglomerant felicia Diuum  
Agmina, pollentemq; Deum venerantur Honorem.  
Hinc Pater armipotens, torquet qui prælia nutū,  
Sanguineasque regit sæuo sub numine pugnas  
Confidet, & bello inuictū procerū genus excipit aula  
Cui decus æternum, & meritis decernit honores.  
Ast lateri Bellona adstat soror: hæc quoq; fundit  
Bellantum meritis palmarum ingentia dona.  
Quin etiam belli fulmen, domitorque ferarum  
Alcides generosus adest, ubi nobile dextræ  
Ostentat clauæ pondus, stratique leonis  
Insigne exuuium, & virtutum mille trophæa*

*Hic*

Hic grandes heroum animæ , & capita alta virorum  
 Confidunt etiam solijs, nec fortia desunt  
 Pectora: Dux Macedo ante omnes effulget in armis  
 Sede sedens alta, laurus cui tempora victrix  
 Cingit, & æternat nomen Mauortia virtus.  
 Deindè duces Danaum, & primū duo lumina Graiū  
 Pelides, acerque armis Laërtius heros  
 Succedunt, geminiq; Atrida, & tota Pelasgūm  
 Lecta virūm pubes; pulchroque sedilia cætu  
 Præterea complent Teucrūm generosa iuuentus ,  
 Magnanimusq; Hector, Priamusq; & nobilis author  
 Romulidum pius Æneas, cui clara nepotum  
 Plurima turma tenent solijs loca proxima celsis,  
 Romanæque parens Urbis, populique Quirini  
 Conditor, atque Remus, Coclesque, & Clælia virgo  
 Et Fabiūm numerosa phalanx, clarique triumphis  
 Scipiade, atque audax contemptor Scaeuola flammæ ,  
 Nec

*Nec non inuictus Romani gloria regni*

*Cæsar: Quin etiam Blancorum grandis origo*

*Hanc sibi Plancus habet sedem, & certamine felix*

*Pompeius, magnum nomen, culmenque Quiritum.*

*Parte alia hinc Phœbū spectas, pulchrâq; Minervâ,*

*Agminaque Aonidum, & Regem circumdare cernis*

*Illustres animas vatum, doctumque manipulum,*

*Cui crines cingunt lauri viridesque corymbi,*

*Æternumque decus diæ dant Palladis artes.*

*Hanc felix petijt sedem, limenque subiuit*

*Lux procerum Blancus; sed vix in limine primo*

*Ventum erat: en vltro venienti protinus omnes*

*Oclusæ patuere fores: namque inclyta Virtus*

*Pandit iter, Meritumque omnes a cardine postes*

*Abrumpit, reseratque aulam regnantis Honoris*

*Obstupere omnes, fatum mirantur eurtis*

*Qui portis aderant proceres, atque ostia tecti.*

*Per*

*Per longas tenuere moras, & secula postes ,  
 Nec tamen optatum possunt euadere limen .  
 Ast sociâ virtute ibat Mauortius heros  
 Intesuque graui Regis solia alta petebat  
 Vestibus incinctus belli, galeamque micantem  
 Aptabat capiti , pariterque ex ære decoram  
 Loricam, leuesq; ocreas: ast fulminat enses  
 Dexterâ: leua artis conamen nobile gestat  
 Ingentem clypeum, Blancorum ubi picta refulget  
 Fama virum, procerumque illustria facta parentum.  
 Primum illic patrij felicia stemmatis astra .  
 Blance micant, auro celestibus emula flammis ,  
 Blanciadumq; author Plancum nitor inclytus Urbis,  
 Et patrum primum sidus, multumque nepotum  
 Agmen adest, proauumque nitent exercitus ingens,  
 Purpureosque viros illic, ostroque decoros  
 Cernere erat geminos Blancos, pulchrumque tiaris .*

*Innumerum cœtum, quosq; huic veneranda Quirini  
Maestas Patris fasces concessit habendos  
Blanciadesetiam Martes, belloque potentes  
Fecerat ars illic, palmisque heroas opimos,  
Et patrios Diuos puro calauerat auro,  
Qui summos meruere lares, sanctosq; Penates  
Cœlicolùm colere, & sacris venerarier aris .  
Ast clypeo in medio Afsisi pulcherrima Patris  
Gloria surgebat Diuus cruce pendulus alta  
Ferali affixus ligno, palmasque, pedesque.  
Hic Superùm sacras leges, & iura Tonantis,  
Romanamque Fidem Tæponum tulit eminus oris,  
Sed Diti exofus cecidit sacra victima cœlo.  
Nec minus affinis Blancis Ferreria proles  
Cernitur; hinc Superùm lumen, magniq; Parentis  
Gusmani germen rutilat Vincentius heros,  
Qui sacro tonat eloquio, mentesque rebelles*

Conciliat cælo, & Cocytum fulminat ore.  
 Illic, Blance, tuæ addiderat molimina dextræ  
 Ars operosa, almosque triumphos, victaq; bella,  
 Partasque illustres duro certamine palmas.  
 Pinxerat Insubres populos, quos marte tueris  
 Impiger, & magno quæ seruas mænia Regi  
 Hesperio, captasque vrbes procul hoste fugato.  
 Fecerat, & Brisac ferro insuperabile saxum,  
 Cui geris optatas audenti milite ductor  
 Suppetias, licet armorum circumsonet horror  
 Vndique, & obsessos cingant bella impia muros.  
 Ingentemque arcem Buccu, te vindice, captam  
 Sculpserat. Hæc inter Veluæ pulcherrimus amnis  
 Ibat aquis, validosque animos, & fortia Blanci  
 Pectora spectabat mirus, pariterque profundas  
 Contemnentem undas illum, fluuiumq; secantem.  
 O stupor! ô animi vires! inuictaque virtus!

Flu

*Flumine transacto, innumerum generosus in hostem  
Milite stipatus paruo Dux Blancus adibat:  
Ecce inimica vident signa, atque obuia mille  
Agmina bellantum occurrunt: Iam vertere terga,  
Iamque metu trepidare equites, quos ductor agebat  
Blanciades, pedibusque parant confidere vitam .  
Heu pudor! heu facinus, socij, quod tenditis, inquit,  
Heros, quo fugitis segnes, num hæc patria virtus,  
Num vester vigor iste? assuetaque pectora bello?  
Sistite nunc miseri, ne vestra hoc gloria probro  
Decidat indigno, nostrumue hoc crimen honorem .  
Ne violet: nunc ergo fugæ hanc deponite mentem.  
Quos terræ tractus alios, quæue arcis habetis  
Mænia? sunt nobis aditus sunt undique septi.  
En angusta tenet nos insula ; claudimur illinc  
Hostibus; hinc pelago, hinc alto circumdamur amne.  
Hoc solum remanet ferro sperare salutem.*



*His dictis firmati equites, mirabile visu.*  
*Vnà omnes rüere incipiunt, simul impete denso.*  
*In vires ferri aduersas, sternitque, ruitque*  
*Hostiles acies equitum delecta iuuentus,*  
*Ceù medijs neglectus agris immittitur ignis,*  
*Aut pauca in syluis spreta cum arfere fanilla.*  
*Vixibus inde nouis immensa incendia voluunt,*  
*Vittricesque vorant saltus bacchantibus Euris*  
*Ingens sylua diu, heù facinus, cinis ilicet omnis.*  
*Sternitur icùu oculi, atque truci cadit hostia flammæ,*  
*Hand aliter paucis socijs fuit inclytus heros*  
*Pralia per, mediaeque acies, aduersaque castra.*  
*Ter conati hostes telis obsistere contra*  
*At victi, pulsiq; fugæ ter terga dedere.*

*Talia per clypeum rutilant clarissima Blanci*  
*Virtutum, meritique, & auùm monumenta virorũ.*  
*Cominus ad Regis sedem iam venerat heros,*

Plaus-

*Plausuque excipitur magno, gaudentque tuendo  
Egregium textum proceres; & magna potentis  
Facta manus spectant oculis latantibus omnes;  
Ast opera alta probant, vera hæc testantur Honori  
Mars, atque ipsa soror belli implacabile numen;  
Tunc Rex amplexus Blancum, sic fatur ad aures.  
Maeste animis Magne, ad nos sic via pãditur; & sic  
Ingentes virtute sibi quæruntur honores,  
Quæ meritis damus, hæc nostræ cape premia dextra  
Hæc Regnator Honos, solioque locarier alto  
Imperat, & Patrum cętu venerarier omni.  
Hic colet æternùm litmen, sedemque tenebit  
Blancus, & innumeros orbis dum sæcula voluent  
Optatis felix gaudebit honoribus Heros.*

A D D I V V M  
 I A C O B V M  
 B L A N C V M  
 E X M Æ V A N I A  
 Ordinis Prædicatorum.

In cuius Os, vultumque mirabiliter Sanguis  
 effluxit à Crucifixi latere; dum orabat, sibiq;  
 à Deo signum aliquod salutis æternæ pre-  
 cabatur; qua sanguinis delibatione ma-  
 xima diuinæ dulcedinis vis est exor-  
 ta, nec non & vehemens pro Chri-  
 sto vitam sacrandi votum est  
 conceptum.

E L E G I A I.

**F**ixus Amor nostras effudit sanguine fauces,  
 Quàm pretiosa dedit pocula fixus Amor.

O' mi-

*O mibi dulcis Amor, dulcedine dulcior omni,*

*Quàm tuus ille fuit dulcis in ore cruor.*

*Ille cruor fortunatum me cœlite pavit*

*Nectare, & ille fuit mellica mensa Cruor.*

*Mensa epulis Superùm, dapibusq; baud inuida Diuū*

*Guttura Sidereo tincta cruore beat.*

*Auræ latentum sileant conuiuia regum,*

*Quæque epulis cedat prodiga mensa meis.*

*Est minor in dapibus Luculli opulentia lautis,*

*Det licet insuetos, pabula mira, cibos.*

*Haud bibulum regni pretium Regina Canopi.*

*Sic gemmas Italo dat Cleopatra proco.*

*Vt tu felices misces in sanguine potas,*

*Mistaque diuitijs gaudia fundis, Amor.*

*Ille cruor dias etiam sub pectore flammæ*

*Fixit, & ardentes contulit ille facès.*

*Aetnam sanguis abit, mentemque exaestuât igne*

*Victima sum tædis, prædaque facta rogo.  
 Flamma urget stimulis, parvusq; ad grandia cogor  
 Vota gerens animis grandior ipse meis.  
 Calite vi flammæ rapior, citus auferor ales,  
 Perque vagus terræ dissiata regna vehor;  
 Iam videor patrias exul contemnere sedes,  
 Et Superùm leges, iuraq; ferre Scythis;  
 Iam dulcès sapiunt enses, sapiuntque furentum  
 Dulcia lictorum vulnera, dulce mori.  
 Quam vellem vestris appellere finibus hospes.  
 Vicitrici ò nimium Parthe timende fuga.  
 O mihi si detur Sinarum inuisere campos,  
 Memnoniasque oras, Iaponidumque domos,  
 Aut Lelegum, tractusq; Arabum penetrare repositos,  
 Quæque colunt Thracæ littora, quæq; Cilix;  
 His cuperem terris felicem occumbere mortem,  
 Insanosque hilari corde subire rogos.*

*Sanguinis hic pretium nostro det sanguis Amori,*

*Et reddat moriens vita cruore vices .*

*O' utinam hic rabido caderem data victima telo,*

*Hic si me sternant fulmina, victor ero.*

*Victor ero victus; prostratus ab hoste triumphos ;*

*Imbellique manu parva trophæa feram;*

*Si mihi sanguineum fudisti è pectore munus*

*Hæc eadem tibi erunt dona cruoris, Amor,*

*En age, Numen Amor , cœlestibus annue votis*

*Protinus affer opem; da mihi amantis opem .*

*Nulla in amore mora, procul impiger otia pellis;*

*Impatiensque sui tempora nescit Amor .*

*His ergo faueas votis, animosque secundes*

*Ne frustra ignescat pectore flamma meo.*

*Adsit opus, factumque meo iungatur amori ,*

*Ne quem corda gerunt, irritus ardor eat.*

AD EVNDEM DIVVM  
**I A C O B V M**  
**BLANCVM,**

In cuius Natiuitate infueti flammaram splen-  
 dores in vrbe Mæuaniz noctu colluxere sine  
 vlla eiusdem vrbis lēſione: ex cuius por-  
 tenti narratione arripitur anſa ad ca-  
 nenda nonnulla alia mira ab eodem

Sancto patrata .

*E. L E G I A II.*

**M** *Ira vehunt portenta tuæ cunabula vitæ  
 Edite felici ſidere Blance puer .*

*Igni-*

*Ignibus innocuis nituit Mævania tellus,*

*Et pulchro visa est fulgere flamma rogo.*

*Natalis nox illa tui non inuida Phæbo*

*Illuxit patrio luce decora solo.*

*Insontes, referunt ciues, arsisse fauillas,*

*Mœnibus ignitas nec nocuisse faces:*

*Eripuit flammis vesanas Mulciber iras,*

*Et dedit his tantum lucis habere decus:*

*Tristibus excidijs, rabidoq; incendia dente*

*Exuit, & robur tollit ab igne vorax.*

*Vrbs ergo nitidis rutilat circumdata flammis,*

*Nullaque de facibus noxia damna refert.*

*Magna hæc dant tibi, iô, flammæ portenta nitentis*

*Omina, & auspicijs signa referta bonis:*

*Regales quondam cecinit sibi Tullus honores,*

*Ignæus ut pueri in vertice fulsit apex.*

*Quin etiam imperij lætum dedit omen Iulo*

*Visa*



*Visa per auratas serpere flamma comas,*  
*Hæc maius tibi designant incendia regnum;*  
*Imperia hæc flammæ nobiliora ferunt.*  
*Flammiarum haud dispar vidit mirabile monstrum*  
*Isacides Pastor membra pauore tremens;*  
*Sed fuit hoc olli sceptri, rerumque potentum*  
*Principium felix, imperijque noui:*  
*Ergo te parili celebrent mea carmina laude,*  
*Aequentque huic magno te mea pleetra viro.*  
*Mirum illum faciunt portenta ingentia Virga,*  
*Ingentemque canunt grandia facta manu:*  
*Ille Paretonios labentibus æthere nimbis*  
*Contudit, & multis terruit ille malis;*  
*Numinis auspicijs Mareötide duxit ab ora*  
*Isacidum intaëtos per freta sicca choros,*  
*Dilectamque Deo gentem per inhospita traxit*  
*In loca, ubi dulci flumina lacte fluunt:*

*Educat hinc felix veris decora omnia tellus,  
Pictus & aeterno flore renidet ager.  
Illius imperio Neptuni ad regna tumentis  
Sanguineas vexit turbidus amnis aquas,  
Optatosque dedit latices ad verbera Virgæ,  
Miscuit & populo pocula dura silex.  
Dumque suas orans tollebat ad æthera palmas  
Isacides hostes ense fugabat ouans.  
Ast nec laude minor magnus mihi diceris heros,  
Nam virtute micæ compare Diæ Puer;  
Elicis Aetherios imbres de cœlite Rupe,  
Ex qua Christiadum conditur alma Domus.  
Flamma dum celso fundebas vota Tonanti,  
Ignitasque dabas tactus amore preces;  
Nec minus in dulcem vertit se lympha Lyæum,  
Teque iubente rubent flumina tincta mero.  
Incolumes seruas, rapuit quos patrius amnis,*

*Quos-*

Quosque suas subter contumulauit aquas.  
Humanis linquens habitata cubilia monstris  
Prata adiit Superum, te duce, turba virum.  
Tu precibus membris hominum discedere manes  
Cogis, & extemplo vertere terga fuge.  
An quæ Meuana vallabant mania marte,  
Non valere tuæ soluere bella preces?  
Quis te ergo paruum faciet, puerumque ciebit,  
Cum magnis oreris par Puer ipse viris?

A D D I V V M  
VINCENTIVM  
FERRERIVM

ORDINIS PRÆDICATORVM,

Et affinem Illustrissimæ

BLANCORVM FAMILIÆ.

EPIGRAMMA I.

**C***vr Chalybem te fata vocant, durumq; rigescis  
In patrio Ferro, nobile germen auum,  
Omnia nomen habet, Strygio sed ferrea regno  
Sęcla; tuus nobis aurea condit amor.*

AD

## A D E V N D E M.

Qui aliquando iussu, imperio, vi, aliquando sola  
 manu impositione, ac vestium tactu  
 ab energumenis fugabat dæmones,  
 sedabatque in vexatis carnis  
 perduellionem.

## EPIGRAMMA II.

**V**oce, manu, imperio nutu, vi, vestibus hostem  
 Tartareum superas, Cyprigenæq; dolos.  
 Cuncta tui fulgent miris cumulata triumphis,  
 Ergo Vincentis, quam bene nomen habes.

IN

I N E V N D E M.

Cuius Corpus tribus annis inhumatum popu-  
lorum deuotioni fuit expositum.

E P I G R A M M A I I I.

**I***N*tumulata iacet templō Ferreria proles,  
*Nec tumulum inueniunt frigida membra diū.*  
*Num fuit urna heros indignus? falleris; Urna*  
*Tanti indigna fuit pignus habere viri;*  
*Egregiumque caput, nullos quod noscere casus*  
*Debuerat, fatum contumulare timet.*

## I N E V N D E M.

In cuius cellulam ad labefactandam Sancti pudicitiam impudens fœmina immissa per eiusdem igneas adhortationes ad penitentiam reuocatur .

## E P I G R A M M A I V.

**Q**uid petulans graderis Diui ad penetralia, pellex  
Anne putas castum, tam violare thorum?

Oh stupor, in flammeas Diuus sese erigit iras ,

Vnde timore cadit, quæ fuit ante procax.

Tunc gemuit spreto Cythereius ales amores .

Sic meus infelix ignis ab igne perit !

AD

A D E V N D E M.

Quem multa Christianorum millia diuinæ præ-  
dicationis efficacia ad pœnitentiam exci-  
tata sequebantur per vrbes, per oppi-  
da, vbi Dei verbum diffusurus  
erat.

E P I G R A M M A V.

**B** Lancorum iunctus generi Ferrerius heros  
Mille hominum cœtus cœlite voce rapit.  
Innumeros agit ille choros, agit agmina mille,  
Et vocat eloquio saxea corda virum  
Num nobis magnes orcris, quo dura trahuntur  
Pondera; sed Ferrum in nomine, Diue, geris?  
Vertitur, an natura tibi, an nouus editur ordo  
Cum lapides, Ferrum, vi meliore trahis?



Illustrissimæ Dominae  
**D. VIOLANTI BLANCH**

MARCHIONISSÆ S. IOANNIS

Regia Basilica Spiritus Sancti  
 funebri pompa parentat .

*EPIGRAMMA VI.*

**S***I tuus in lacrymas Coniux tibi totus abiret,  
 Seque tuum in fletus verteret omne genus,*

*Si premerent tua fata etiam, terrasque, polosque,  
 Nil gement casus, hoc mihi crede, tuos*

*Quas ergo lacrymas, dabimus quæ munera luctus  
 Blanca Tibi: dispar dum dolor omnis erit .*

*Hos cape, quos gemitus Ignei dant Numinis ades,  
 Hæc tua debebat funera flere Domus.*

Ad

Ad Eandem Dominam

MARCHIONISSAM

In annosa etate obeuntem.

EPIGRAMMA VII.

**C***ur tibi traxerunt triplices tot lustra sorores,*

*Cur longa implevit tot tua vita colos?*

*Dant paucis, eheu, seros traducere soles!*

*Corripiunt multis impia fata dies!*

*Sola tibi celerem cohibens Libitina furorem*

*Longuos annos tollere tarda fuit;*

*Nosco equidem; timuit citius te sternere letho,*

*Nam immortale caput crederat esse tuum.*

## I N E A N D E M,

## E P I G R A M M A V I I I.

**H**oc solùm geritis parcendi nomina Parcæ;  
 Parcitis ast nullum sternere cæde caput;  
 Vnde nec illustrem indulstis tollere Blancam,  
 Quæ nullos casus noscere digna foret.

## A D E A N D E M

In hebdomada Passionis decedentem.

## E P I G R A M M A I X.

**D**um tristis gemit Atherij pia funera Regis,  
 Totus & ingemitus flebilis Orbis abit,  
 Perpetuo claudis morientia lumina somno,  
 Teque tuo rapiunt ultima fata Viro.  
 Host tibi debebat tellus diffundere luctus,  
 His lacrymis tantos illacrymare rogos.

IN

**IN EANDEM.**

Pro cuius funere emortualis pompa  
in Ecclesia Spiritus Sancti  
erigitur .

*EPIGRAMMA X.*

**Q***uæ cernis positi decora inclyta Mausolei,  
Hæc Blancae meritis erigit alta domus,  
Quasque faces spectas Blancae pro funere fulgent  
Lapsaque ferali sidera luce gemunt,  
Quasque vides pompas, tristisque tumentia luxu  
Limina, & insigni tecta superba rogo.  
Omnia sunt Blancae parvæ munuscula laudis,  
Namque omni fastu hæc fœmina maior erit.*

## L A C R Y M Æ

Illustrissimi Domini

D. MICHAELIS BLANCH

MARCHIONIS S. IOANNIS,

&amp; primi moderatoris in Regia

Ecclesia Spiritus Sancti

obortæ

In obitu dilectissimæ Coniugis

D. VIOLANTIS BLANCH.

## E P I G R A M M A X I.

**C***Vr mibi te Libitina rapit sine coninge coniux,  
Ab fidus socius sim tumulo, & thalamo*

*Me, mea, ne linquas lacrymarum gurgite mersum.*

*Vnaque nos condat flebilis urna duos,*

*Vxor*

*Vxor ad hæc; extrema Viro solatia præbens,  
Inquit, & occumbens hos dedit ore sonos.  
Me mea funereo sine lumina claudere lætho,  
Nec sistas Diræ ferrea iura Deæ;  
Sed triplices in multa trahant tibi secla sorores  
Annos, quos nunquam noxia fata premant.  
Virgineos nam mille choros alis: omnia & Ignei  
Numinis alta Domus quæ tenet, ipse regis  
Hinc si me rapiat mors, vix caput occidit unum,  
Sed plures vno te moriente cadunt.*



IOSEPHI ANTONII  
M O R B I L L I  
NEAPOLITANI I.C.

CARMINVM  
LIBER SECVNDVS.

Ad Illustrissimum Dominum  
D. IOANNEM THOMAM BLANCH  
Oliuetentium Marchionem .

Alij alia sequuntur , Author verò Musas :  
quarum ductu celebrare gaudet  
Blancorum proceres .

O D E I.

**H**eroum soboles, procerumque excelsa propago  
Blanciadumque decus .

Castra iuuant alios, quos horrida bella secutos  
Martius ardor agit :

Et



*Et sua per terras partis resonare triumphis*

*Nomina gaudet eques.*

*Tela manu torquere ferox, arcumque sonantem*

*Tendere miles amat.*

*Hic saltus, lucosque colit, perque inuia sylue*

*Cuspide figit apros,*

*Insequiturque feras, celeresque ad prælia damas*

*Sanguinolenta vocat.*

*Et canibus cingit montes, camposque, dolisque*

*Vallat ubique nemus.*

*Puppe petunt alij Nerei vada salsa, fretumque*

*Remige trañciunt.*

*Eoq̄ cupidus gazæ per cærule Ponti*

*Poscit auarus opes:*

*Nec timet hic vitam fragili confidere ligno*

*Prodigus ipse sui.*

*Ard ua vincit amor lucri, scit temnere darum*

*Am-*

*Ambitiosa fames.*

*Et tamen aggesti ingenti superincubat auri*

*Pondere diues inops .*

*Et si tota fluat pretiosa opulentia Gangis,*

*• Diuitiaque Tagi,*

*Aut huic rura beent, Hebriq; & Hydaspis arena,*

*• Nec saturatur hydrops .*

*Est auidis natura parum, nec celite gaza*

*Sufficit ipse Deus.*

*Huic multo irradiant aula tumentia luxu,*

*Multaque gemma nitet.*

*Miltibus huic niueis tolluntur in astra columnis*

*Culmina summa domus ,*

*Latitidque fremunt epule, & spumantia in auro*

*Diuite vina rubent .*

*Fulmina sepe ruunt summū, d stupor, aurea miscet*

*Pocula sepe cruor,*

*Mer-*

*Mergitur argenteos inter crateras iniquo*

*Naufraga vita dolo,*

*Hunc solers sua cura vocat ; sua quemque voluptas ,*

*Me mea musa trahit,*

*Me meus Aonidum duſtu decora alta virorum*

*Dicere cogit amor,*

*Me famam, nomenque tuum , meritumque parentum*

*Blance referre iuuat ;*

*Da dignam, Tymbrae, lyram, da digna camænis*

*Carmina Phœbe meis,*

*Blancorum, ut celebrem laudes , procerumq; parētū*

*Nomina laude canam .*

In Beatum Franciscum Blancum,  
ex Discalceatorum familia San-  
cti Petri de Alcantara in Ia-  
ponia insula martyrij pal-  
ma insignitum.

O D E II.

**O** *Di probrosa plena proteruię  
Lasciuientis pleęta cupidinis,  
Lyraſque amantum odi, & profanas  
Cypriginę celebrare flammās.  
Auferte linguas hinc procul improbis  
Addięte Pindi cętus amoribus  
Auferte, noſtram nec pudendis  
Carminibus violate mentem.*

*Phæ-*

*Phœbea pubes; occulat os modis .*

*Fates nefandis: Cyprius eheu,*

*Quot cantus Orco dat triumphos?*

*Quotque replet Phlegetonta palmis.*

*Nam me pudico ludere barbito ,*

*Dignumque cælo tangere nablium ,*

*Iuuatque Musarum sacerdos*

*Plectra pijs agitare palmis.*

*Non desidi me vinciet otio*

*Neglecta tellus, imaque deseram*

*Ales, pudendis, nec Camænis*

*Voluar humo similis colubro ;*

*Ast plenus almæ numine Pieridos*

*Imas relinquens terrigenum domos,*

*Fauente Phæbo, ducar ales*

*Dadalea per inane penna ;*

*Et factus astris altior æthera*

*Musis reuisam, testaque cęlitum, &*

*Iberiæ lumen, nouumque*

*Cælicolũm modulabor astrum,*

*Magnisque dicam laudibus: ð nitor*

*O lux Olympi, ð nobile Siderũm*

*Decus canam te, Blance, teque*

*Hesperia generosus heros*

*Feram perenni carmine posteris.*

*Ast ordo laudum quis? dubius trahor ;*

*Hinc vestra me virtus, & illinc*

*Cogit auũm, procerumque nomen,*

*Sed quid paternæ fumus imaginis*

*Prodest? suis si moribus occidat*

*Virtus: Auorum clarus (eheũ)*

*Collabat omnis honos in ipso,*

*Cuius parentum laus in origine*

*Sola est, & alto sanguine proditus*

*Turpis probrorum saepe fons est,*

*Et scelerum pudibundus auctor.*

*Ponam ergo stirpem fascibus inclytam,*

*Claraeque gentis fulgida nomina,*

*Vestraeque tantum facta dextrae*

*Innumera cumulanda laude;*

*Dicam, & triumphos, partaque lapone*

*Trophaea, & ingens excidium stygis,*

*Spretamque licitorum furentum*

*Barbariem, rigidumque telum.*

*Qua voce Regem reppulit impium*

*Ibera proles; plausibus audiant*

*Adæ nepotes, gaudioque*

*Audiat obstupescens aether.*

*Quid sistis enses improbe? quid diu*

*In me moraris spicula? non ego*

*Insanientes has bipennes.*

*Aut*

*Aut rabiem; gladiumque curo.*

*Tolle has moras, sunt otia funera.*

*Festina prestant vulnere gaudium.*

*Diū crucesque, ensesque, & iras*

*Opto necis pretiosus emptor.*

*Evolve cunctum hoc in caput impetum*

*Tyrannis: hīc sunt corda securibus,*

*Nam dat mihi numen dat ingens*

*Robur, & aetherium vigorem?*

*Hæc fatus hæros. O adamantinam*

*Virtute mentem: non mihi si sonent*

*Centum ora possum, Diue, vestrum*

*Herculeum celebrare pectus.*



Ad eundem Martyrem,  
Cuius triumphus canitur.

Dum post eius mortem plurimus sonitus  
per aerem mirabiliter auditur.

## O D E III.

**V** Idetis, an me ludit amabilis  
Imago pompæ? iam videor pios  
Audire plausus, & vagantes  
Ceruleum per inane turmas.  
Auditis? ò quas prætereuntium  
Lyraſque, vocesque audio cœlitum?  
O quos ſonantes miror alta  
Nube ſuper reſonare currus?  
Non viſitato exercitus agmine  
Cælum coronant, altaque nubium.

Fe-

*Festiva discurrunt per axem*

*Cœlicolùm glomerata pubes .*

*Quæ leta cęlo classica mugiunt ?*

*Ecquis tubarum lenè frementium*

*Clangor? quadrigarumque flictus*

*Insolito sonuere pulsu?*

*Sed nosco pompam, nosco poli decus.*

*Fertur curules inter amabiles*

*Iberus heros, ipse Blancus*

*Tranat, iò, generosus auras .*

*En quale fuso sanguine nobile*

*Gerit trophæum victor ad çthera,*

*Nouisque palmis, & triumphis*

*Assisium decorat Parentem ?*

*En ut minantis fulmina dexteræ,*

*Irasque temnit Principis impij*

*Dum vera fert summi Tonantis*

*Dogmata Iaponidum per urbes.*

*Vides opimis, ut spolijs redux*

*In astra tendit? cernis ut improbum*

*Còercet Orcum, & praeliantes*

*Conterit Eumenidum phalanges.*

*Vt ille vinclis frenat aheneis.*

*Ditem, & catenis edomat asperis*

*Manes, relunquantemque vinclis*

*Tartareum Phlegetonta vincit.*

*Cedant frementum praelia turbinum*

*Cedant & Euri. Sistite barbari*

*Ventique, Caurique, & procella*

*Aërios violare campos.*

*Dum Blancus heros gloria siderum*

*Scandit nitentes Cælicolum domos.*

*Audimur: Iras ponit Auster,*

*Praelia detumere cælo.*

Ad

Ad eundem Iaponiæ Martyrem  
Pro incolumitate Illustris. D. Mi-  
chaelis Blanch Marchionis San-  
cti Ioannis .

O D E IV.

**D***ive Blancorum generosa proles,*  
*Additum cælo, Indigetisque lumen .*

*Vota, quæ fundo, precibusque plenum*

*Accipe carmen .*

*Tu potes dextrâ dare largienti ,*

*Nam potens Diuum dominaris aula ,*

*Maius optatis, animosque vincens*

*Munus amantes .*

*Qui tuus sanguis, procerumque sidus*

*Fascibus claret Michaël decoris .*

*Eulget, & Patrum iubar, atque anitæ*

*Gloria gentis.*

*Dexter huic vultu faueas benigno*

*Vltimi ò felix reparator Orbis,*

*Et tuum hunc herosa tuere, & alto*

*Aspice cælo.*

*Arceas primùm Michaëlis æde*

*Tela feralis truculenta fati*

*Tristium pellas nocuum malorum*

*Eminus agmen.*

*Hec nimis Blanci gemuere vultus.*

*Coniugis charæ, miserans nefastum*

*Proh dolor fatum, dedit ipse mergens*

*Flumina luctus.*

*Dulce solamen precor asser axe*

*Amplius ne lugeat inquietis*

*Lacrymis coniux; nihil & maligni*

*Visere possit.*

*Deinde fortuna recubans sub alis*

*Diuitum gazis cumuletur aureis,*

*Principum fastu decoratus almo*

*Fulgeat heros.*

*Huic & æternos operosa soles*

*Atropi voluat colus, & secundam*

*Nestoris vitam, meritoque mille*

*Sæcula donet.*

*Occidat nunquam generosa virtus*

*Moribus sacris, pia vita Blanci*

*Nesciat casus, ruitura nullo*

*Decidat cæno.*

*Sin sinant hoc fata inimica vita*

*Mille post lustra hunc rapias in altam*

*Celitem sedem, sociumque Diuis*

*Inuehe Cælo.*

Nauis

Nauī quæ eundem B. Franciscum  
 Blancum in Iaponiam insu-  
 lam vehit.

O D E V.

**L** Vci filia nobilis  
 Pinus, quæ tumidi cærule marmoris  
 Fines alite carbaso  
 Sistas Iaponis incolumē plagis  
 Ingens sidus Iberiæ,  
 Patrisque Afsisi pignus amabile  
 Blancum, qui tibi creditur  
 Serues Oceani per vada sospitem.  
 Sic te lumine prospero,  
 Ledci Iuuenes lucida sidera,

Vrse

*Vrsæ, & lumen amabile,*

*Stellarumque nitor te regat aequore*

*Et felix tibi fulgeat*

*Lux monstrans pelago cæruleas vias,*

*Neptunique pericula.*

*Ponant ò utinam prælia turbines,*

*Pontum, & voluere subdolum*

*Parcant Aeòlij Numinis agmina,*

*Dum fers finibus ultima*

*Eois Iaponum præsidium potens,*

*Et fulcrum Fidei nouum,*

*Magnumque excidium Tartaræ domus,*

*Nec te in saxa sonantia*

*Disiectam rapiant seuæ Aquilonibus*

*Austri insania dissidens,*

*Aut hostis Lybicus Syrtibus Africi*

*Figat vis: at Ethæsiæ*

*Fe-*



*Felici repleant carbasa flamine,  
Latifque auspicijs ferant .*

*Felix perge ratis, sin tibi fauerint  
Auræ; plurimus Ætheris*

*Astiorumque fauor non deerit tibi,  
Dum gratum vehis hospitem ,*

*Dilectumque Dei pignus amoribus,  
Et Diuis decus additum .*

*I' ergo, & tumidam tunde superbiam  
Vndarum imperiosior*

*I' felix per aquas, i' pete marmora  
Argo dignior inclyta .*

*Audax illa prior remige nobili  
Intentata maris freta*

*Sulcauit, celebres per vada Navitas  
Vexit sydere prospero,*

*Optataque plagis Colchidos appulit*

*Phry-*

*Phryxei hinc ubi velleris*

*Auratum exuvium Aetiadis tulit*

*Sage fraudibus impia,*

*Sed furti celebris crimine diuitis}*

*Inter fulgere sydera*

*Prædatrix vehitur numinum inanum*

*Iussu Puppis in æthera.*

*Instrumenta probri, prob scelerum nefas!*

*Alto digna manent polo?*

*Sunt furtis etiam præmia turpibus*

*Est & dedecori decus.*

*At tu Memnonijs finibus ultimis*

*Raptorem haud vehis improbum,*

*Qui fallax populis Aesonio dolo*

*Gazas auferat aureas.*

*Blancum heroa geris, qui pretiosius*

*Cæli vellus, & inclytas*

*Fert*

*Fert oris Iaponum diuitias poli,  
Diuorumque opulentiam.*

*His nunc eximijs, puppis, honoribus  
P felicior, incipe*

*Euro vela leui tendere; dum tibi  
Arcessam prece prosperas*

*Auras, & Zephyros carmine supplici.*

**Euocantur Auræ pro eiusdem**

**Nauis incolumitate.**

O D E VI.

**D***Extro fauete sibilo  
Tranquilla pubes Aeoli.*

*Secundo ades huc omine*

O Au-

*O Aura florum spiritus,  
Fer & tepentes aeris  
Cætus, fer alites choros.  
Dum vela pinus explicat  
Per alta ponti cærule  
Heroa ducens inclytum  
Extrema ad arua Iaponum,  
Qui lumen axis inuehit  
Orbis nitore cælite  
Auerna pellens nubila  
Cæcis virorum mentibus.  
Et solis instar ignei  
Optat nefandas Tanari  
Vmbas Eöo pellere.  
Vbi nitorum ianua,  
Phæbique cuna lucidi  
Fulget decoro lumine.*

*Mox*

*Mox cernet ora Memnonis  
 Suis coruscum finibus  
 Nouum nitere Cynthium ;  
 Qui surget, almus Hespero,  
 Lucemque fundet cœlitem.  
 Adestis ergo prosperę  
 Miti flabello Ethesiæ,  
 Totoque ferte Nereo.  
 Blanci carinam sospitem .  
 Arcete bella turbines  
 Procul procellas trudite  
 Sęui furores Africi.  
 Intacta seruent marmora  
 Euri secundi flamina .  
 I' sponse Florę roscidæ  
 Blanco comes, cumq; excoquet  
 Latrantis ira sideris,*

Et

*Et dira Càncri incendia.*

*Quas Blancus oras trañcit,*

*Quò Phæbus axe desuper*

*Ignita torquet spicula,*

*Solisque tellus acribus*

*Adusta feruet æstibus.*

*Tui hìc susurri amabiles*

*Agant choreas garruli,*

*Letoque ludant agmine*

*Nerei per vdas semitas,*

*Æstiva pellant tædia,*

*Et lene frigus suscitent,*

*Ne Diuus igneos sentiat*

*Sani furores scorpij.*

Vocat Musam ad canendam eiusdem  
dem Beati laudes.

O D E VII.

**A**ge celsi moderatrix Dea Pindi,  
Ades huc ò properanti pede Clio,  
Preme plantis venerantū, preme dorsum Zephyrorū,  
Famulantum quate currus Aquilonum.  
Tibi plausu famuletur chorus omnis  
Heliconis; tibi carmen modulanti  
Procul horrens petat Auster Garamantum  
Regiones; tibi ponat gradienti  
Notus iras hyemales: eat exul truculenti  
Furor Euri, tibi Blancum celebranti  
Lævis adsit sonus auræ Zephyræ.

Age

*Age Clio, quate plectrum, cane Blancum  
Iubar ingens, decus alnum Superiorum,  
Cane Iberum cane sidus venerandum,  
Qui Orientis rutilantis, Iaponumque  
Loca lustrat pede sacro, etherisque  
Piat undis populorum regiones,  
Furibundique tyranni, haud timet arma.  
Sed ut ad dulces hymenæos celebrandos  
Metuendam crucem adit sic properanter.*



## In Dium Iacobum Blancum

Ex Mæuania Ordinis Prædicatorum,

Cuius virtute pulsus, fugatique sunt mali dæ-  
mones ex innumeris Ergumenorum cor-  
poribus. Ideò ab Auctore fingitur in hoc  
Dithyrambo maximus Satanæ dolor, &  
furor aduersus eundem Sanctum.

### ODE DITHYRAMBICA VIII.

**A** Cri me rapit impete  
Gaudens diffidijs furor.

*Irarum furit intimis*

*Aetna medullis.*

*Heu dolor! unius*

*Imbelli superor manu.*

*Solus Auernum*

*Vincit homunculus.*

*Proh pudor! Magnus dominator Orci*

*Inferum Reſtor, Strygiusque Princeps*

*Terga minaci*

*Vertere Blanco*

*Cogor infelix; rapior profundo*

*Dura reuinctus compede.*

*Ast quid hoc? patiar pudendum*

*Tam nefas, tam vile probrum, notamque?*

*Egone, parent cui nigri lacus,*

*Regnaque Tænari*

*Temnendi hominis nutibus obsequar?*

*Vilisque subdar unius iussu viri.*

*Absit tale nefas Tartareo duci.*

*Sume animum fugitiue anime, & de pectore turpem*

*Pelle timorem.*

*Aude; siste fugam, tuas  
Reuoca vires magnanimum cor,  
Et saeuum in hoste perge vindex.  
Occidat audax  
Tartarei euersor decoris, cadat hostia Diti  
Infandum scelus.  
Adeste fidi, adeste manes.  
Oti vincula soluite;  
Currite segnes  
Currite desides  
Gorgones, Eumenides fera monstra  
Precipitate gradus  
Ocyus omnes  
Ite citi; celeri famuli pede pergite; flammis  
Amplexa manibus Diræ, Stygioq; Tonanti  
Date tela nigra cohors, date fulmina famuli;  
Et sagyttas, & secures vestro ferte Numini.*

*Et*

*Et bipennes, & dolones, arma mille ducite  
Deque Dite, deque Auerni dira sede Tartari  
Spicula festinate.*

*Sistite: nescio,*

*Quo cor pauore palpitat*

*Membra rigent gelu,*

*Mentemque occupat anxius horror.*

*Aude anime, & pavidos eijce corde metus*

*Blanci expaues vecors manum?*

*Hominem formidas? qui Superos*

*Olim ausus es insurgere in hostes*

*Ipsumque ætherio folio depellere numen.*

*En age felicem sequere impetum.*

*Hùc hùc ultrices accedite sæuius Iræ.*

*Adsit scelerum numerosa phalanx.*

*Adsit, & imo*

*Tartaro infestas truculenta tædas*

*Tisiphone gerens .*

*Ducat & ardentis dira Megæra faces ,*

*Infandumque caput sæuis armata colubris*

*Alesto odijs misceat animos .*

*Mihi ferrum properetur; celerentque*

*Crudeles Achèronte furores .*

*Sanguine multo*

*Mens est opprobrium violati ulciscier Orci .*

*Rursus mihi anxius timor pectus quatit*

*Novus mihi pressam impedit vocem pavor .*

*Est potens hostis; validisque Blanco*

*Viribus omnis*

*Militat æther .*

*Non ille suo, at Superùm maximo*

*Robore pugnat .*

*Parce ergo, parce vis furorum*

*Parcam? qui dulces hominum mihi tollere prædas,*

*Me-*

*Meque feris compescere vinculis,*

*Deque humani pectoris arce*

*Nostrum pellere militem*

*Perfidus audet .*

*Moraris adhuc vindictam animæ?*

*Perge, festina furor, insueto*

*Penæ flagello*

*Irrue in hostem!*

*Dubitas? pigras inducias furor*

*Odit, amat pernix malum.*

*Hostem, heu, tuentur astra, cælum*

*Auspicijs fauet ;*

*Forti protegit egide.*

*O nimium mihi*

*Crudeles Superi, crudelia numina cæli.*

*In me quid ruitis semper contraria votis?*

*Vos, vos etiam pœnas dabit is.*

*Im-*

*Immunis haud ibis meis aether malis.*  
*Cecidi quondam sedibus altis*  
*Victus: ascendam super astra victor,*  
*Ad fera rursus*  
*Bella ciebo*  
*Sideream domum .*  
*Ast ego quid Titania demoror agmina vinclis .*  
*Ite caelestes domitura sedes*  
*Inclyta pubes,*  
*Hostis est, qui non mihi maectat hostem,*  
*Ille Riphæi iuga celsa Montis,*  
*Ille frondosum Rhodopes cacumen ,*  
*Ille suprema glaciæ cornu*  
*Eruat Osse .*  
*Deferat omnis*  
*Deferat insula Nereum*  
*Hinc tu connixis manibus saxa addita saxis*

Cau-

*Cautesque, rupesque, & iuga montium*

*In alta torque sidera*

*Maxima nostræ*

*Gloria gentis*

*Inclyte Rethæ*

*Superosque laceſſe proteruos,*

*Quos ego! ſed prohibet dicere plura dolor.*



I N E V N D E M

Diuum Iacobum Blancum,

Cuius natalitius ortus multis prodigijs insignitur præsertim miro flammarum splendore , & triplicis lunæ apparitione.

O D E IX.

**S***Virge Musa concolores  
Impedita flore crines,*

*Per virentes arua Pindi,*

*Perque colles, perque prata*

*Carpe molles ungue frondes,*

*Flore verno cinge tempus,serta neſte crinibus*

*Parce nunc potentiorum*

Sa-

*Sæua Principum referre  
Bella parce, differ arma.  
Pone fulmina, & secures  
Sume pleetra, barbitumque  
Garruliq, Dithyrambi voce Blancum concine.  
Ille felix dum parentis  
Exit aluo, fert Olympo  
Lumen ingens; fert decorem  
Insuetæ lucis Orbi.  
Lustrat atræ noctis umbras,  
Nam triplex coruscat inter astra Cælo Cynthia  
Oriente herõe Blanco,  
Mediâque lune luce  
Radianti fulget ore  
Ipse candidus puellus  
Blancus editus sub auras.  
Patriæque visa flamma mira muros cingere.*

Rutilare pulchra tantum,  
Nec cremare visa cines,  
Sacer Oreb qualis Ignis,  
Qui micabat non edebat  
Dente flammeo rubetum.  
Fulgeat nouo nitore cælum. Terra fulgeat,  
Igne miro, flammulisque  
Astra, Blanci vagientis  
Decorate luce cunas,  
Atque pulsis noctis umbris  
Celebrate sidus ortum.  
Hos honores, has decoras luce pompas fundere  
Debet æther, debet Orbis.  
Ille Blanco namque nato  
Noua lumina, & nitores  
Sibi cernit obtinere  
Mille preda, & trophæa

*Sumit ex Auerna sede rapta, Blanco vindice.*

*Hic nouum decus, nouumque*

*Celebrandum Numen aris*

*Sumit Orbis, atque sacris*

*Cumulatur mille donis,*

*Præmijsque gaudet almis.*

*Plaudat ergo Terra Blanco; plaudant ergo sidera.*

Beatus Blancus de Blancis

De Veneris, & Satanæ dolis

triumphator,

O D E X.

**P**rofer, iö, palmas, Erato, geminique triumphi  
Concine Musa decus.

Quem Blancus Superum non ultima gloria Diuum  
Victo Acheronte tulit.

Egregius formà iuuenis, quo pulchrior alter  
Non fuit oris honos,

Ornauitque genas roseum iubar, undiq; pinxit  
Aurea pompa comas,

Huic geminæ etherij radiantia sidera vultus  
Enituere faces.

Non

*Non sic veris opus fundit per florea tempe*

*Flora decora sinu ,*

*Aut ostentat odoratum rosa nobilis ostrum,*

*Purpureasque genas ;*

*Non sic astra polo, non sic argentea cælo*

*Cynthia luce micat.*

*Multi illum thalami, multi optauere puellæ,*

*Idaliique Thori.*

*Obtulit huic vetita insidijs solatia mille*

*Officiosa Venus*

*Ille Dioneos spreuit generosus amores,*

*Lusit, & ille dolos,*

*Nec niueum tetigit pectus, mentemque flagrauit*

*Sæua Erycina rogo*

*Neglectus defleuit Amor, pharetramque sonantem*

*Fregit & erubuit,*

*Dum frustra tædas, frustra que intorsit in hostem*

H

Lu-

*Lurida tela manu,*  
*Quin etiam Ditem, & victum Phlegetonta coëgit*  
*Vertere terga fugæ,*  
*Nec fraudes valere Strygis, dum vindice Blanco*  
*Concidit omne nefas,*  
*Fusa iacent dextrâ Plutonia regna potenti,*  
*Tartareique lacus.*  
*Profer, iô, palmas, Erato, geminique triumphi*  
*Concine musa decus*  
*Tartara formidant cuncti, sed Tartara Blanci*  
*Robur Auerna pauent*  
*Vincit amor cunctos, Blancus deuicit Amorem,*  
*Et Cypriæ arma Dee,*  
*Profer, iô, palmas, Erato, geminique triumphi*  
*Concine Musa decus.*

A D P H O E B V M,

Quem precatur inuitatq; Author  
ad celebrandas Blancorum  
laudes .

O D E XI.

**P***Hæbe Musarum iuga celsa linqvens  
Te precor, sistas, ubi verna semper*

*Flore Sebetus fluit inter arua*

*Amne benigno .*

*Hic tui Pindi, Aonidumque fonti*

*Æmulus multò resonante vatum*

*Obstrepit cantu, patrijsque mugit*

*Mille Camænis*



*Plurimo qualis vaga flexuosi  
 Lene Meandri fremit unda olore;  
 Murmurat qualis modulis volucrum*

*Ripa Caystri,*

*Huc petis pulchro redimite sero  
 Aureos crines, ubi amena rura  
 Elysi prato, Hesperidumque rident*

*Æmula campis,*

*Aut ubi ingentes caput inter vrbes  
 Urbium regina potens, decusque  
 Nobilis Siren gerit, & virenti*

*Surgit in agro,*

*Hic canas, Thymbræ Pater perenni  
 Laude Blancorum meritos honores,  
 Quos dedit magnis cumulata factis*

*Inclita virtus.*

*Quid prius digna referas Camena!*

*Lucidum an gentis genus, & parentum  
Nobilem stirpem; quibus astra auito  
Stemmate fulgent.*

*Mille num ductos recines triumphos  
Hostium castris, populisque victis  
Mille an heroum celebrata claris  
Nomina bellis.*

*Imperii Plancum celebrem Quirini  
Consulem sumes cithara canendum  
Vnde Blancorum genus, vnde Patrum  
Nobile nomen.*

*Diditur terris numerosa proles,  
Vnicum temnens habitare limen;  
Appetunt magni sibi magna; & ingens  
Grandia quærit.*

*Gallia extremas penetravit oras.  
Et suos egit patrios penates*

*Italùm campis, coluitque regnum*

*Gentis Iberæ,*

*Hinc nouum Blancos petiſſe tectum*

*Fertur, & Sirenis ad alma tempe*

*Prospero tandem patrias tulerunt*

*Omine ſedes;*

*Hùc prior Regni moderator ingens*

*Appulit ſacro decoratus oſtro*

*Carolo ſeruans ſolium Gerardus*

*Prouidus Heros,*

*Purpura clarum haud ſileas Othonem,*

*Et Quirinali trabea decoros*

*Praſulum catus, precor, infulatos*

*Concine Patres*

*Quattuor ſummo rutilant in axe*

*Aſtra Blancorùm, totidemque ciues*

*Celitis, tecti veneratur Orbis*

Thu-

*Thuris acerra;*

*Deinde, & heroum innumeros maniplos*

*Prælio illustres animas parentum*

*Militum dicas, proceresque magnos*

*Fulmina belli.*

*Prole Marcelli geminâ parentis.*

*Pulchra Sirenum Vrbs nimium tumescit.*

*Inclytis ambo titulis coruscant,*

*Moribus ambo,*

*Fama Blancorum; velut imbre crescit,*

*Duplici in Fratre, vnda fluentis amnis,*

*Et sua qualis face Phæbus inter*

*Sidera fulget.*

*Claret insigni pietate Michæel*

*Marte Germanus micat inter omnes*

*Fortium cætus, validusque viuit*

*Terror in hostes.*

Ad Illustrissimum  
 MARCHIONEM S. IOANNIS  
 Prouidum, & primum Recto-  
 rem Sacræ, & Regiæ Domus  
 Spiritus Sancti.

Ob prohibitionem factam annuæ euagationis  
 ab eodem Virginibus in ipsa domo deten-  
 tis, & ob maximam uigilantiam eius-  
 dem ad eas regendas.

O D E XII.

**Æ** Genam imperio, ð quam bene prouido  
 Multam, Blance regis Virgineam manus,  
 Quam sacro cohibet carcere Numinis  
 Ignei, te uigili, domus.

Tu

*Tu prudens animi legibus integris  
Addis femineæ fræna licentiæ,  
Æternumque vetas, dux bone, núbili  
Iuris fadere Virgini.*

*Sacrati ex adytis liminis annuos  
Discessus, reditusque: haud temerarias  
Curas, ò Michael, tot querimonias,  
Sed stas mole tua, mari.*

*Cen cautes medio, fluctibus undique  
Excussa, & teneram quam tibi credidit  
Pubem Cælicolùm Numen in intimis  
Tu septam penetralibus.*

*Servas; atque malis protegis: haud secus  
Tutatur pavidas pastor ouilibus  
Agnas, & stabulis condit amabilem  
Turbati pecoris gregem;  
Vesanos ouibus cum catulos læ*

*Im-*

*Impastumue lupum, quem famis improba  
Vis urget stimulis, insidias videt*

*Circum pabula tendere .*

*Sed cur, ò Michaël tam leue contulit  
Regnum exosa viris, semper & inuidia  
Sors magnis: minimum est imperium tui*

*Moli femina consilii .*

*Eheu sæpe scelus, proh pudor, insidet  
Auratis solijs, sceptraque belluis  
Haud impar manibus sæpe gerit: caput*

*Terræ dedecus imperat .*

*Et mens digna Tui, dignaque diditis  
Terrarum imperijs; nec ditionibus ,  
Nec regum meritis fulget honoribus ,*

*Nec cingunt diademata .*

*Orbis dimidium ferre potens caput ,  
Aut fasces decorant. Quid queror? inclytis*

*Sunt*

*Sunt hæc æqua tuis pondera viribus .*

*Regnum est femina maximum .*

*Ventos non equidem est tam labor improbus*

*Vinclis induere, aut compede diffitos*

*Euincire notos : cura minor freti*

*Frænos addere fluctibus,*

*Aut mulcere trucis pectora tigridis ;*

*Quam frænare animum femineum: Viri*

*Vestro state alacres imperio: nimis*

*Est monstrum variabile .*

*Et ventis leuius; maius & æquore*

*Portentum mulier: Dux scelerum malum ,*

*Dilectumque nefas: illacrymabilis*

*Humani generis lues .*

*Monstrum hoc Herculeis viribus æmulo*

*Rectores animos postulat, inçlyto*

*Quos sub corde geris Blanciadam nitor*

*Præses maxime virginum.*

Ad



Ad Illustrissimum

D. IOANNEM THOMAM

B L A N C H

Marchionem Oliueti Inuictissimū

Militem ob insignem victoriā

partam in Velua Insula apud

Flandriam.

O D E XIII.

*Q*uod me ducite præpeti

*Penna Pierides, non sine numine*  
*Ales tollor in ætra.*

*An ludor? volucris iam videor plagas*

*Vel-*

*Velæ errare per exteras,*

*Audire, & sonitus, bellaque Martij*

*Misceri undique buccinis .*

*Hinc tormenta tonant aenea, & igneam*

*Aetnam faucibus euomunt,*

*Implentque horrifonis antra fragoribus ,*

*Et cælum ictibus impetunt:*

*Illinc axe ruunt fulmina; ferrens*

*Imber grandinat æthere,*

*Telorumque pluit nimbus, & hostium*

*Præcep exitium ruit\*.*

*Lethali æra micant lumine; militi*

*Portendunt tenebras necis:*

*Illinc mors vehitur per vada sanguinis,*

*Soluens vela furoribus .*

*Vrnæ deficiunt exanimis; deest*

*Tellus plurima funeri,*

*Exan-*

Exanguesque viri, & busta cadaverum  
Tollunt culmina montium.

At quis vectus equo per medium furit  
Agmen Marte animosior.

Dux ille? En rapidis aduolat ocyor  
Euris: cernitis ut rotat

Ensem bellipotens, telaque fulminat,  
Crispatque arma manu, viris  
Victor colla metens; sternit, & hostium  
Robur, perque acies ruit.

Non sic aggeribus flumina dirutis  
Inge us diripiunt nemus.

Non sic miscet aquas ponti Aquilonibus  
Austri insania dissidens.

Olli tela viro patria suggerit  
Virtus: Innumeris fauet

Fortuna auspicijs: Maeste animis potens

He-

*Heros militiae decus;*

*Sic forti ad Superos semita panditur*

*Sic ferro itur ad aethera,*

*Sic magni proceres nomina honoribus*

*Æternant sibi; quisquis es*

*Tu mars armipotens. O utinam tuum*

*Noram nomen; & inclytum*

*Genus, quàm cuperem noscere patrios*

*Ortus; Dic precor: audior*

*Iò; Blancus hìc est Blancus Iberiæ*

*Magnum praesidium, & genus.*

*Proles Parthenopes: cui patrius vigor*

*Palmam hanc carpere nobilem,*

*Hostilemque dedit sternere militem.*

Consolatur Dominum  
 MARCHIONEM S. IOANNIS  
 Diu deflentem obitum suæ  
 meritissimæ Coniugis.

O D E XIV.

**T**ristia chara funera Coniugis  
 Gemere æternum Daulias Ales  
 Querulis Michaël desine lacrymis;  
 Non! semper iaculatus ab alto  
 Decidit æthere pluuius: imber,  
 Aut radiantis Phæbi rutilos  
 Vultus condunt nubila tenebris.  
 Et tu, qui Parthenopes Cælo

Re-

*Radias nobile sidus; conderis  
Perpetui meroris nubibus,  
Teque in gemitus soluis amarus .  
Si tuus infelix dolor eijci,  
Gemituque euellier animis possit.  
Emptor pretiosus lacrymarum  
Mercarer luctus, querulosque  
Peterem questus diuite gemma.  
Vincerem & æquoreas Alcyonas ,  
Merentumque sororum vincerem  
Phaetontiadum longum gemitum,  
Irem in sylvas, nemorunque inuia  
Pandionia flebilis ales  
Ferali cyparisso confidens ,  
Æternumque querens luctifono  
Triste referrem gutture carmen,  
Et dum vasto immota maneret*

*Ingens pondere tellus: donec  
Alma niterent sidera cælo,  
Et pulcher dum rutilis bigis  
Superos sol circumdaret orbis,  
Nunquam metam mæror haberet,  
Mæstaque semper gement lumina,  
Ruerentque meis flumina vultibus,  
Aucta quibus, vel cæcula tumidi  
Pelagi suetas non amplius undas,  
Sed lacrymas ad litora voluerent.  
Oceanumque nouum terris darent;  
Quò tuus hîc possit tumularier,  
Et naufragus occumbere mæror.  
Ast heu lacrymæ lacrymas augent!  
Crescitque dolore dolor miseris,  
Non secus ac per florea tempe  
Lata adolefcunt gramina rore,*

Plu-

*Pluuijsque magis germina crescunt,*

*Et viridi se cespite tollunt.*

*Ergo tuis tot Blance querelis*

*Pone modum, & tantis sine lacrymis*

*Nineum vultum urgere Senectæ,*

*Mæstaque gemitu flere perenni*

*Fata, & amores Coniugis almæ,*

*Sed potius, Phæbo auspice, læti*

*Referamus victrices palmas,*

*Fratriſque tui parta trophæa,*

*Quosque æternos laudis honores,*

*Contulit illi Mærtia virtus.*



In Illustrissimum Dominum  
D. IOANNEM THOMAM

B L A N C H

Oliuetensium Marchionem

Ob populi tumultum sedatum in hoc Regno,

Cuius quietis, pacisque pars magna data  
est prudentiæ, & virtuti eiusdem Mar-  
chionis Inuictissimi Militis.

O D E X V.

**Q**uò cæci ruitis, proh scelus, impete  
Ciues præcipiti, sistite, sistite  
Detestabile crimen,  
Ensesque eijcite impios;

Cur

*Cur vestram excidijs sternere barbaris  
Gaudetis Patriam, & scindere maximum*

*Diro funere regnum,*

*Urbisque imperium potens.*

*Vobis vos miseris parcite; cernitis,*

*Vt ciuem insidijs impietas petit*

*Ciuis: saucia fili*

*Telo Parthenope parens.*

*Humectat gemitu sanguineo genas,*

*Vestra, ab vos misera parcite Patria,*

*En vt flamma furorum*

*Flammis excidit improbis*

*Sedes, tecta, domus, templaque nobilis*

*Srenis: calido sanguine semita*

*Fumant: funera, cædes*

*Replent undique compita.*

*Nec vos ferre decet pectora tygridis*

*Immitemque animum, quos fauor Ætheris,*

*Et clementia cæli*

*Nutrit sidere prospero,*

*Hic hinc mos rabidis solus in anguibus*

*Sæuit, qui lacerant corda parentibus,*

*Scinduntque ore proteruo*

*Aluum, & qui genuit, sinum*

*Nec fas Marmaricas gignere belluas*

*Felix Parthenopes Elysiùm, aut feros*

*Monstrorum edere fetus,*

*Atque immane virum genus.*

*Vestri vos meriti parcite Principis*

*Fas, & grande decus ladere regium.*

*En parcit generoso*

*Vobis Austria federe*

*Ventis fundo preces, verbaque negligit*

*Baccantis populi dira proteruia.*

Plc.

*Plebis turba nefastæ*

*Maiori ruit impete .*

*At vos Indigetes Sidereæ domus*

*Regni rebus opem ferite ruentibus,*

*Optatamque proboso*

*Metam ponite crimini.*

*Audiuere preces numina, vota que*

*Audiuere Dii: En sæua frementium*

*Tempestas populorum*

*Blanci detumuit manu,*

*Inuisito Austriaco, qui comes additus*

*Marti Urbemque potens qui regit Innico*

*Iunctus fulmine strauit*

*Iras illacrymabiles,*

*Et pacem patriæ rettulit auream,*

*Magnoque Imperium reddidit Austriæ.*

*Tu lux inclyta Regni*

*Addis fræna furoribus*

*Ciuem Parthenopes cogis Iberiæ*

*Tu parere Ioui , tu populum Imperi*

*Lorum concutientem*

*Placas auspicijs bonis .*

*Urbes, quas celebres alluit Adria*

*Frænas , & strepitus te petulantium*

*Formidant Lupiarum*

*Magni, & Brundusij furor*

*Cedit, Blance, tibi, frænaque, te Duce ,*

*Antiqua excipiunt oppida plurima .*

*Salve ò gloria belli,*

*Salve ingens equitum nitor*

*Te pacis reducem grata Neapolis*

*Debet perpetuis tollere honoribus,*

*Magno, & munere debet*

*Grates Austria soluere .*

AD

A D E V N D E M.

Quem nobilem, illustrem, incly-  
tum non faciunt opes, sed  
virtus, quę veram affert  
nobilitatem.

O D E XVI.

**D***ivitis auri*  
*Lumine nulli*

*Fulgere possunt*

*Nobile Germen,*

*Claraque proles;*

*Quem aurea tantum*

*Pon-*

*Pondera ditant  
Par pretiosis,  
Tergaque onustis  
Diuite gaza  
Viuit onagris,  
Solaque virtus  
Qualis Olympi  
Fulgida lampas  
Luce nitenti  
Claret in Orbe,  
Sola tenebras  
Atraque pellit  
Nubila testis,  
Vnaque veros  
Gloria gentis  
Fundit honores.  
Hac duce, summis*

Tol.

*Tolleris astris  
Inclyte Blance  
Laude perenni  
Diceris omni  
Nobilis heros  
Hac tua totis  
Didita terris  
Cuncta per ora  
Magna vagatur  
Fama, tuumque  
Vndique nomen  
Voce loquaci  
Personat ingens,  
Teque virorum  
Colla metentem  
Frigida nouit  
Flandria tellus,*

*Te-*



*Tæque frementis  
Murmura plebis  
Lumine miro  
Vincere vidit  
Regia Siren.  
Tu quoque Ibero  
Itala Regi  
Regna tueris,  
Multaque vindex  
Patria seruas  
Mænia telo.  
Ægide forti  
Oppida, & altas  
Protegis vrbes,  
Claraque bello  
Fulmine vincis  
Agmina Galli.*

*Solaque virtus*

*Lumine vero*

*Lustrat auorum*

*Nomina Patrum,*

*Teque, Tuosque*

*Reddidit Orbi,*

*Vndique claros*

*Martius ardor,*

*Doctaque Pallas.*

## I N E V N D E M :

Describitur lues olim in hoc

Regno grassans,

Cui idem Oliueti Marchio

sefe mancipavit inser-

uendo ægris.

O D E X V I I .

**P**one *lotos* Musa cantus,  
Triste carmen incipe:

*Funde luctus: lacrymarum*

*Plura crescant flumina,*

*Dum decoras perdit vrbes*

*Im-*

*Ampio mors funere .*

*Ecce vestro amica Phæbo,*

*Vt luis furoribus,*

*Esca facta pulchra Siren*

*Falce læthi sternitur ;*

*Et flagello sauiente*

*Ista morbi vapulat.*

*Hic ubi per ludibundas.*

*Vrbis almæ semitas .*

*Mille lusus, & choreæ*

*Personabant garrulæ ,*

*Et trahebant terga equorum .*

*Bigæ opimæ pondera,*

*Et iuuentus flore verno*

*Vinciebat tempora .*

*Dulce carmen hic canebat*

*Virgo Sole pulchrior.*

*Nunc*

Nunc ubique luctuosi  
Lethi imago cernitur,

Et querelę, civiumque  
Luctus ingens perstrepat.  
Digna multo pompa planctum  
Flebili urnę ducitur.

Et superbo vecta curru  
Mors plateas, peruolat.  
Mille palmas inter urbem  
Colligens Sirenida,

Et ruinis, & furore  
Fertur implacabili  
Męsta cunctis ora pallor  
Luce pingit funebri.

Hic colonos viua mortis,  
Nunc trophęa prospicis;  
Nulla forma decolores

*Festa vultus purpurat .*

*Hic canentum turba vatium ,*

*Hicolorum plurimus*

*Afflictus cœtus olim*

*Dulce guttur soluere.*

*Atque Sebeti prope undas*

*Ore læto ludere .*

*Nunc avis ferale carmen*

*Mæsta fati nuncia*

*Fundit, & Sirenis almæ*

*Funus atrox concinit,*

*Noctuaque cuncta terrent*

*Inquietis luctibus,*

*Atque Crater pulcher undis*

*(Nante in ipso gaudio)*

*Gratiarum, qui theatrum*

*Perstrepebat plausibus;*

K

Nunc

*Nunc dolorum triste limen,  
 Funerumque mobilis.  
 Urna condit subter undas  
 Aggeres cadauerum.*

*Quot malis, heu, inclytam urbem,  
 Ira fati tulerat.  
 Sponsæ amatum decidentis  
 Sponsus amplexum aufugit.*

*Natus hostis blandientem  
 Patris horret dexteram,  
 Ebibitque mortis atrum  
 Virus infans ubere.*

*Vix hero fidus minister  
 Eminus dat ferculum;  
 Inde terga vertit ille  
 Africi alis ocyor.*

*Querit exul inquietus*

*Tuta syluis limina ,  
Et paterna quisque linquit  
Tuta ciuis profugus ,  
    Ne sibi cuna penates  
Sint sepulcrum flebile .  
Patriæ at tu fidus Urbis,  
Blance, ciuis improbum.  
    Haud fugis fatum, luisque  
Sauientis impetus,  
Nec tuæ desertor adis  
Expauens pericula,  
    Sed tui contemptor inter  
Mille lethi fulmina  
Fers opem, & gratus medelam  
Das ruenti patriæ,  
    Peruigilque arcere curas  
Tanta morbi incendia .*



*Nec suetos hos honores*

*Cerno miro lumine.*

*Namque bello saepe vidi*

*Pro paternis manibus,*

*Proque Ibero Rege magno*

*Sæpe vitam spernere.*

**F I N I S .**

## **Author in sui Detractorem.**

**O** *Mi Mome meæ mordes, cur carmina musæ*  
*Est quia, Tu Momus, Tu mihi mimus ades*  
*Indoctum, est leue, si dicas me voce Poetam*  
*Hoc magnum Mome est condere carmen opus.*

IN-

# I N D E X

RERVM ; ATQ; CARMINVM;

Nec non & metrorum genera,

quibus vsus est Author :

**B** Martyr Franciscus Blancus ex Galitia  
Ordinis Minorum ex Discalceatorum  
familia S. Petri de Alcantara dignissimum  
germen ad diffundendum Fidei Catholicæ  
lumen Iaponiam petit. Carminis pars prior,  
constat ex heroicis metris. lib. 1. pag. 1.

Idem B. Franciscus Blancus post iacta in Iapo-  
niæ Insula Catholicæ Religionis fundamen-  
ta, Fideique semina impijssimi Taycozami

## **I N D E X.**

Regis iussu vnâ cum socijs cruci affigitur ;  
cuius anima martyrij insignibus laureata  
felicissimo Angelorum plausu in Cælum ve-  
hitur. Carminis pars posterior, constat pari-  
ter hexametris versibus. lib. 1. pag. 23.

**Ad Illustrissimum Dominum D. Ioannem Tho-**  
**mam Blanch Oliuetentium Marchionem. Pa-**  
**negyris; constat heroico carmine. lib. 1. p. 42.**

**Ad Diuum Iacobum Blancum ex Manania Or-**  
**dinis Prædicatorum; in cuius os, vultumque**  
**mirabiliter sanguis effluxit è Crucifixi late-**  
**re, dum orabat, sibiq; à Deo signum aliquod**  
**salutis æternæ petebat, qua sanguinis deliba-**  
**tionæ maxima vis diuinæ dulcedinis in eius**  
**anima exoritur; nec non & pro Christo vi-**  
**ram**

# I N D E X :

ram sacrandi votum concipitur. Elegia; constat; heroico, & pentametro, sicuti etiam quæ sequuntur Elegia, & Epigrāmata. lib. 1. p. 54.

Ad eundem Diuum Iacobum Blancum, in cuius natiuitate insueti flammaram splendores in Męuania noctu colluxere sine vlla eiusdem oppidi læsione; ex cuius portenti narratione arripitur ansa ad canenda nonnulla alia mira ab eodē Sancto patrata Elegia. lib. 1. p. 58.

Ad Diuum Vincentium Ferrerium Ordinis Prædicatorum, & affinem Illustrissimæ Blancorum Familix. Epigramma. lib. 1. pag. 63.

Ad eundem Diuum, qui aliquando iussu, aliquando sola manuum impositione, ac ve-

# I N D E X:

stium tactu ab energumenis dæmones fugabat, sedabatque in vexatis carnis perduellionem. Epigramma. lib. I. pag. 64.

In eundem, cuius corpus tribus annis inhumatum populorum deuotioni fuit expositum. Epigramma. lib. I. pag. 65.

In eundem, in cuius cellulam ad labefactandam sancti pudicitiam impudens femina immissa per eiusdem ardentissimam adhortationem ad pœnitentiam reuocatur. Epigramma. lib. I. pag. 66.

Ad eundem, quem multa Christianorum millia diuinæ prædicationis efficacia ad pœnitentiam excitata sequebantur per vrbes, per oppi-

# I N D E X.

pidā, vbi Dei verbum diffusurus erat. Epigramma. lib. i. pag. 67.

Illustrissimæ Dominæ D. Violanti Blanch Marchionissæ S. Ioannis Regia Basilicæ Spiritus Sancti funebri pompā parentat. Epigramma. lib. i. pag. 68.

Ad eandem Dominam Marchionissam in anno-  
sa ætate obeuntem. Epigramma. lib. i. pag. 69.

In eandem. Epigramma. lib. i. pag. 70.

Ad eandem. in hebdomada Passionis deceden-  
tem. Epigramma. lib. i. pag. 70.

In eandem, pro cuius funere emortualis pom-  
pa

# I N D E X.

pa in Ecclesia Spiritus Sancti erigitur . Epi-  
gramma. lib. 1. pag. 71.

Lacrymæ Illustrissimi Domini D. Michaelis  
Blanch Marchionis S. Ioannis obortæ in obi-  
tu eiusdem Marchionissæ suæ dilectissimæ  
Coniugis. Epigramma. lib. 1. pag. 72.

Ad Illustrissimum Dominum D. Ioannem Tho-  
mam Blanch . Oliuetentium Marchionem .  
Alij alia sequuntur, Author verò musas, qua-  
rum ductu celebrare gaudet Blancorum  
proceres. Ode constat Hexametro, & Dacty-  
loco Archilochio. lib. 2. pag. 75.

In Beatum Franciscum Blancum ex Discalcea-  
torum familia Sancti Petri de Alcantara in

Ia-

# I N D E X.

*Japonia insula martyrij palma insignitum .*  
Ode constat ex Alcaicis, & Iambicis, Archi-  
lochijis, Dimetris, Hypercatalectis. l. 2. p. 79.

Ad eundem Martyrem , cuius triumphus cani-  
tur, dum post eius mortem plurimus sonitus  
per aerem mirabiliter auditur. Ode, est eiuf-  
dem metri, ac prior. lib. 2. pag. 84.

Ad eudem Martyrem; pro incolumitate Illu-  
strissimi Domini D. Michaelis Blanch Mar-  
chionis S. Joannis . Ode constat ex Sapphy-  
cis, & Adonijs. lib. 2. pag. 87.

Navi, quæ eundem B. Franciscum Blancum in  
Japoniam insulam vehit . Ode constat Gly-  
conio, & Aselepiadeo. lib. 2. pag. 90.

Euo.



# I N D E X.

Euocantur auræ pro eiusdem nauis incolumitate. Ode constat ex iambicis quaternarijs, seu Archilochijs dimetris Acatalecticis.

lib. 2. pag. 94.

Vocat musam ad canendas eiusdem Beati laudes, Ode; constat ex Ionico minus duplici habente tres, vel quatuor pedes Ionicos à minore.

lib. 2. pag. 98.

In Diuum Iacobum Blancum ex Meuania Ordinis Prædicatorum, cuius virtute pulsi, fugatique sunt dæmones ex innumeris ergumenorum corporibus, ideò ab Authore fingitur in hoc dithyrambo maximus Satanæ dolor, & furor aduersus eundem Sanctum. Constat ex diuersis carminum generibus.

lib. 2. pag. 100.

In

## I N D E X.

In eundem *Diuum Iacobum Blancum*, cuius natalitius ortus multis prodigijs insignitur præsertim miro flammæ splendore; & triplici lunæ apparitione. Ode; constat ex Trochaicis Alcmanijs, & Archilochijs.

lib. 2. pag. 108.

Beatus *Blancus de Blancis de Veneris*, & *Saræna* triumphatur. Ode; constat heroico, & dactylico Archilochio.

lib. 2. pag. 112.

Ad *Phœbum*, quem precatur, inuitatq; *Author* ad celebrandas *Blancorum* laudes. O de constat ex sapphico, & adonio.

lib. 2. pag. 115.

Ad *Illustrissimum Marchionem S. Ioannis* prouidum, & rectorem *Sacræ, Regiæque domus*

Spi-

## I N D E X.

Spiritus Sancti, ob prohibitionem ab eodem  
factam annuæ euagationis Virginibus in ip-  
sa domo detentis; & ob maximam vigilantiam  
eiusdem ad eas regendas. Ode constat ex  
Asclepiadeis, & Glyconijs. lib. 2. pag. 120.

Ad Illustrissimum Dominum D. Ioannem  
Thomam Blanch Marchionem Oliueti inui-  
ctissimum militem ob insignem victoriam  
partam in Velua insula apud Flandriam. Ode  
constat ex Glyconio, & Asclepiadeo.

lib. 2. pag. 121

Consolatur Author Dominum Marchionem  
S. Ioannis diù desolentem obitum suæ coni-  
gis. Ode; constat Anapæsticis. lib. 2. pag. 122

In

# I N D E X.

*In Illustrissimum Dominum, D. Ioannem Thomam Blanch Oliuetentium Marchionem; ob populi tumultum sedatum in hoc Regno, cuius quietis, pacisque pars magna data est prudentiæ, & virtuti eiusdem Marchionis inuictissimi militis. Ode; constat ex Asclepiadeis, Pherecratijs, & Gliconijs. lib. 2. pag. 132.*

*Ad eundem, quem nobilem, illustrem, inclytum non faciunt opes, sed virtus, quæ veram affert nobilitatem. Ode, constat ex Adonijs.*

*lib. 2. pag. 137.*

*In eundem. Describitur olim in hoc Regno grafsans, cui idem Oliueti Marchio se se mánicipavit inseruendo ægris. Ode, constat ex Truchaicis Alimanijs. lib. 2. pag. 142.*











